



13450.

41 53
1657
14
A7

Σὺν τῷ Θεῷ.

DISPUTATIO THEOLOGICA

de

CONCILIIS EC-
CLESIASTICIS,

Pontificiis præcipuè Opposita

In Electorali Academiâ Wittebergensi ad
placidam *συμφιλολογίαν* proposita

PRÆSIDE

ANDREA KUNADO,
SS. Theol. D. & PP. Consistorij Electoralis Ad-
sessori, & Alumn. Electoralium Inspectore,

Respondente

M. EBERHARDO MÜLLERO,
Revaliâ Livono, Facultatis Philoso-
phicæ Adjuncto.

Habebitur ad d. 25. Maji

WITTEBERGÆ

Excusa Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academiae Chalcographi
ANNO MDC LIV.



Splendidissimis Theosophiæ Luminibus,
Disertissimis Eunomiæ Fluminibus,
Firmissimis Machaoniæ Columinibus,

V I R I S

Supra modum Venerandis,
Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis,

PROFESSORIBVS

In

GUSTAVIANA ACADEMIA
DORPATENSI

præclarissime meritis,

Afserteribus

Omnium & Doctrinarum & literarum
Augustissimis,

*Promotoribus sola appellatione
observandis,*

in fidem clientelæ

*Demisse & (ceu decet) submisse
ad pedes deponit*

cultor devotissimus,

M. Eberhardus Müller, SS.

Theologiæ addictus.



Σὺν τῷ Θεῷ



Um superiori seculo *Status Imperij Romani* viderent Ecclesiam de die in diem à Pontifice Romano magis magisque opprimi, in *Comitiis Noribergensibus* obtulerunt Legato illius Catalogum abusuum quos correctos cuperent, & *Concilium pium ac Liberum* indici in Germania petierunt. Nam pij illi Principes partim communi illorum temporum errore persuasi putabant, potestatem cogendi concilium universale ad Papam spectare, partim cum aliud consilium in promptu non esset, sperabant hoc modo insolentiam ac Tyrannidē Pontificis repressum, Germaniæ Christianam libertatem restitutum adeoque Ecclesiæ quam optimè consultum iri. Quod ipsum & Imperator *Carolus V. gloriosissimæ memoriæ* in animum induxerat, & propterea Anno 1529. Bononiæ in congressu cum Pontifice Clemente VII. ut Synodum Generalem ab ipso obtineret, omnibus modis contendebat, præcipuè cum haud obscure animadverteret, eum tergiversari & lucem fugere. Cum enim ille *Mercurino Caesaris Cancellario & Oratori* Synodum instanter flagitanti obverso torvo vultu, interminatoriè respondisset, tum surgens ad dicendum Carolus ipse, quamvis juvenis graviter adseverabat, *Mercurinus quæ dixisset, ipsius mandato dixisse, & se ab eà sententia donec vivat, non discessurum esse. Scire se hoc Concilium pertinere ad gloriam Dei & ad Salutem Generis*

A 2

neris



neris humani: placere multis sapientia fide ac virtute excellentibus viris: Convenire statui Ecclesie, in quam irrepsissent quaedam invocationes contumeliosae in Deum, & alia turpissima vitia & scandala. Placere igitur sibi consilium Theodisii, qui jusserit in Synodo queri & proferri Testimonia sincera vetustatis; & delectari se Dicto illo Heroico, quod velit, ut in communi periculo communis sit deliberatio. Et quae in eam rem plura ab ipso graviter dicta videre est in Hist Aug. Confess. Chytræi de anno M D XXX. Ex quibus patet plurimum spei positum habuisse Imperatorem & status Imperii ad constituendam pacem ac tranquillitatem Ecclesiae in Concilio Generali. Cum autem simul facile intelligerent, nisi illud legitimè ac decenter institueretur & tractaretur per viros pios, sapientes & exercitatos, qui piè prudenter & ἀπροσωπολήτως judicaret, frustra fore totum illum Apparatum, nec quicquam amplius effectum iri, quam ut jugum Papale super Ecclesiam adversus Christianam & Germanicam libertatem stabiliretur: propterea postulabant Concilium non qualecunq; sed *Liberum & Christianum*, in ipsa Germania instituendum, in quo Abusus Curiae Romanae ad oppressionem Ecclesiae Christianae & ad imminutionem Libertatis Imperij Germanici spectantes eo liberius proponi, tutius disceptari & feliciter expediri possent. Promisit autem Pontifex aliquoties, & tandem Paulus III. etiam indixit Concilium anno 1536. Mantuae congregandum, quod verò inde Tridentum postea translatum & ibi celebratum est. Quo minus verò status Imperij Romani Protestantes ei morem gerere, vel decreta illius in Ecclesias suarum Ditionum recipere possent, & quid aliàs in eo desiderarent, peculiari scripto explicarunt in Tract. de causis recusati concilij Tridentini. Cum igitur
hac

hac ratione de Concilio Generali pio Christiano & Li-
bero desperandum esset, Electores & Cæteri Status Au-
gustanæ Confessioni addicti ne suo quoq; loco Ecclesiæ
deessent, ab eo tempore curarunt per suos Consiliarios
& Theologos non solùm in Consistorijs suis, sed etiam
in alijs Collegijs ac conventibus particularibus & pro-
vincialibus controversias & causas Ecclesiasticas secun-
dum S. Scripturam piè ac sincerè tractari & expediri, ut
nobis hætenus concilio alio magnopere opus non fue-
rit, quemadmodum & *B. Lutherus* hoc dudum agnovit.
*Optarim, inquit, ex animo concilium Christianum & libe-
rum aliquando congregari, ut multis & rebus & hominibus
consuleretur; non quod nos concilio indigeamus (Nostra
enim Ecclesiæ per Dei gratiam puritate verbi & vero usu Sa-
cramentorum ac cognitione vocationum & verorum operum
ita sunt illustratæ & constitutæ, ut concilio nobis opus non sit,
nec à concilio de his rebus quicquam melius sperare & exspe-
ctare possimus)* sed quod in Episcopatibus videamus pas-
sim multas Parochias planè desertas & vacuas, ita ut præ-
dolore cor hominis pii exstingui facile possit. In præ-
fat. Art: Schmalcald. Accidit tamen semel ac iterum, ut
dum inter eos qui Papatui valedixerunt controversiæ
motæ sunt de quibusdam Articulis fidei, ad Synodum
Generalem provocatum fuerit, ab ijs præcipuè, qui
cum Zvinglianorum sectæ addicti essent, Augustanæ
Confessionis Socij videri & haberi voluerunt, indignè
ferentes & multum conquesti, quod a Lutheranis indi-
ctâ causâ damnarentur; qua de re videri potest Hospi-
nianus inconcordiâ suâ discordi & *B. Hütterus* in con-
cordia Concordi. Sed & interea postquam Formula
Christianæ Concordiæ constituta & recepta est, quoties fe-

rè novæ lites gliscere cœperunt, vel veteres recrudue-
runt, quamvis non defuerint per Dei gratiam, qui Se-
ctarijs obviam irent, tamen à multis postulatum & o-
ptatum fuit, *Concilium Evangelicorum plenius*, eo quod
vel putarent se non satis auditos & convictos esse, vel
quod Arbitros suspectos haberent, vel quod ægre fer-
rent sibi causam abjudicari, vel quod aliquid in pro-
cessu compositionis & decisionis desiderarent. Quin-
etiam de componendis noviter ortis controversijs, quas
aut nunquam motas, aut modestius alicubi agitas fuis-
se optandum erat, diversa sunt hominum judicia, dum
alij quidem Synodum & colloquium Evangelicorum,
Theologorum exoptant, alij vero de fructu & successu
illius desperant, quamvis & hic fatendum sit, Nos quan-
tum ad discretionem ipsius doctrinæ, concilio opus
non habere. Quod si tamen concilium plenius ab
Evangelicis Magistratibus obtineri posset, illud per Dei
gratiam Ecclesiæ Evangelicæ profuturum esse, haud du-
biè speramus. Donec autè ea de re certi aliquid conclu-
datur Nos interea aliquid ex veteri Historiâ de concilijs
in genere repetemus, hac vice potissimum contra Papi-
stas disputaturi. Quod ut duce & Præside Spiritu
S. fiat ad Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem,
faxit Pater cælestis per Jesum Christum Do-
minum & Salvatorem nostrum.

Amen.

Quid

Quid sit concilium & quotuplex?

Concilium igitur à concalando seu convocando dictum. Græcis *Σύνοδος*, quamvis in genere usurpari possit de quavis congregatione hominum in commune consulentium, qua ratione etiam comitia politica complectitur: tamen hoc loco in specie de congressu Ecclesiastico accipitur, quo jussu & Autoritate Magistratus politici, tanquam Patroni & Advocati Ecclesiæ, partim Doctores illius præcipui, partim etiam Politici quidam Eminentiores, & alij de Ecclesiâ conveniunt consultandi gratia, & ex S. Literis decernendi de rebus ad Ecclesiam & Religionem pertinentibus, ut doctrinæ puritas & disciplinæ Ecclesiasticæ honestas & tranquillitas contra Schismata & hæreses adseratur & promoveatur.

2. Sunt autem Synodi quædam particulares, quædam vero Universales. Particulares ubi ex certâ Natione vel Provincia, vel diœcesi conveniunt personæ ad curam & custodiam Religionis & rerum Ecclesiasticarum destinatæ. Unde vicissim Synodorum aliæ vocantur Nationales, aliæ Provinciales, aliæ diœcesanæ.

3. Universales verò, alias Oecumenicæ dictæ, sunt, quæ ex omnium Christiani orbis Ecclesiarum Legatis constant & illæ vicissim vel simpliciter tales, cujusmodi fuisse perhibentur priora quatuor concilia Oecumenica, *Nicenum*, anno Christi 325. sub Constantino M. contra Arrium: *Constantinopolitanum*, anno Domini 381. sub Theodosio M. contra Macedonium: *Ephesinum* anno 431. sub Theodosio juniore contra Nestorium; & *Chalcedonense* anno æræ Christianæ 451. sub Martino contra Eutychetem; celebrata. Vel *secundum quid*. si quando ex præcipuis Regnis & Provincijs Christiani Nominis Ecclesiarum Orthodoxarum Legati convenirent de controversijs fidei & disciplinâ Ecclesiasticâ visuri. Parum enim attinet hodie nec sperandum est, ut omnium sæcularum

starum Promachi convocentur; nec si id obtineri posset, credendum est ea ratione omnia schismata sublatum, & omnes quæstiones controversas ad palatum partium attemperatum, & ad sententiam unam communem redactum & conciliatum iri. Fieri tamen posset, ut ex præcipuis Regnis ac Provincijs Augustanæ confessionis, auspicijs Principis cujusdam Evangelici cooperantibus alijs Evangelicis Regibus ac Principibus convenirent ex Theologis & Politicis viri pij, graves, & prudentes, de statu Ecclesiæ & Controversijs fidei deliberaturi.

4. Nam si maximè Reges & Principes Christiani, etiam quoad hanc causam suâ sibi gaudeant libertate; tamen si Concilium convocari Ecclesiæ magnopere referret, non dubitarem, quin ipsi sibi invicem essent condescensuri, & in subsidium Ecclesiæ decenter implorati, quibusdam suorum Theologorum, ut Synodum illam frequentare deberent, injuncturi. Quod si eveniret concilium illud non immeritò *Universale secundum quid* appellari posset.

5. Alias solent concilia etiam distingui in Legitima & Illegitima. Legitima sunt, quæ convenienti ordine instituta quæstiones controversas de Fide, secundum sacram scripturam decidunt; Illegitima quæ contra.

6. Bellarminus autem disputat, inter concilia quædam esse ab Apostolicâ sede approbata & ab universâ Ecclesiâ recepta, quædam omnino reprobata: Vicissim quædam partim approbata, partim reprobata. Deniq; quædam nec approbata, nec reprobata. l. i. de conc. cap. 4. *Legitima* igitur Bellarmino sunt, quæ à Pontifice vel instituta vel postliminio approbata & confirmata fuerint: *illegitima* quæ & in quantum ab ipso approbata non sint. Qua de re quid statuendum paulo post videbimus.

7. Nunc subit mirari appendicem de concilijs *Neutrius generis*, quæ nec approbata sint nec reprobata. Mirum enim est Pontificem summum hætenus nondum discrevisse, quid de ijs singulatim habendum sit. Allegat autem ipse Bellarminus non nisi unicum hujus generis videlicet *Pisanum*, quod anno 1409 deposuerit Gregorium XXII. & Benedictum XII I. ele-

XIII, electo Alexandro V. unde constat Concilium illud non probari posse, quia commisit peccatum in Pontificem Rom. pene dixeram, in Spiritum S. sed nec reprobari posse, quoniam elegit Alexandrum V. quem successores pro genuino Antecessore agnoscunt.

8. Foret autem operæ pretium cognoscere, quid illi Alexandro recens electo de competitorum depositione visum fuerit. Non enim præsumendum est, Eum illud Concilii factum improbandum judicasse, secus ipse abstinendo à Pontificatu facile potuisset autoritati Pontificis & Concilii rectius consulere. Nec credibile est hodie, si Jesuitarum aliquis eligeretur, deposito qui nunc sedet Pontifice, Eum in sui ipsius præjudicium antecessoris depositionem improbatum esse, cum consentaneum sit, inter illos etiam reperiri viros, qui *ἐν θεοκρίαι τῶν ἀγγέλων*, Col. II, 18. & studio singularis humilitatis primatum illum capessere nimis desiderent.

9. Quantum igitur ex circumstantiis apparet, capti sunt Boni Viri. Sicut enim non possunt improbare electionem Alexandri, si Arborem Consanguinitatis Antichristianæ integram retinere velint; sic non audent manifesto probare vel improbare depositionem Gregorii & Benedicti, quæ tamen sic cohærent, ut unius Generatio fuerit cæterorum corruptio. Quin ergo dicant quod res est, Concilium rectè fecisse deponendo Illos Invasores, rectius facturum, si nullum Papam elegisset, sed Ecclesiæ suam libertatem restituisset. Sed de his deinceps aliquid dicendi locus erit. Nunc quæritur

II. *An Concilia simpliciter sint necessaria?*

10. Hic Nos statuimus, quod *Concilia non sint simpliciter necessaria*, quin Controversiæ sine illis decidi, & disciplina pro cujuslibet provinciæ vel dioceseos statu & conditione constitui queat. Nam Verbum Dei, secundum quod omnia dogmata judicari & omnes controversias de fide decidi oportet, etiam absq; Concilio divinam suam vim & autoritatem

B

habet

Habet tanquam vox supremi iudicis. *Omnia enim Scriptura ἰσοπνεύστως* utilis est ad doctrinam *πρὸς ἐλεγχον* ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in iusticiā, 2. Tim. II. 1, 16. Tūm *προσοχή*, attentio & officium Elencticum singulis non minus quam omnibus Episcopis Ecclesiæ injunctum est, ut quivis eorum potens esse debeat ad exhortandum per sanam doctrinam & contradicentes redarguere, Tit. I, 9. Quo pensato *B. Athanasius* Arianam impietatem damnavit, priusquam illius rei gratia Concilium cogeretur. Et *Cyrillus* Nestorii dogmata refutavit ante Concilium Ephesinum sicut meminit *Evagrius* l. 6. Hist. Eccl. c. 18. Quemadmodum & aliæ Hæreses ante & post Concilia à singulis quandoque vel paucioribus Episcopis oppressæ & refutatae sunt, non expectato solenni conventu. Quae de re notum est iudicium *B. Augustini*. Sic enim ille T. VII. l. 4. ad duas Epistolas Pelagianorum c. 12. *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit; cum potius rarissima inveniantur, propter quos damnandas necessitas talis extiterit, multoq; sint atq; incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt illic improbari damnariq; meruerunt atque inde per ceteras Terras devitanda innotescere potuerunt.*

II. Tandem Ecclesia per Dei gratiam per primos annos CCC. circiter Concilio potuit carere. Quin etiam interdum Controversiæ per Concilia non potuerunt expediri & sopiri. Ut taceam in ipsis Conciliis aliquando scandalosas contentiones agitas & gravissimos errores receptos & confirmatos fuisse. Quis enim ignorat Altercationem Romani & Constantinopolitani Episcopi de *πρωτοκλισία*, de qua in Nicenâ II. Synodo actum est? Interdictum de conjugio sacerdotum confirmatum est à Concilio *Elibertino* in Hispaniis Can. 33. & *Arelatensi* in Galliis Can. 2. & *Cartaginensi* Secundo, Can. 2. illis ante, hoc post Concilium *Nicenum* celebratis. Communio sub Unâ non obstante Institutione Domini, sancita & Ecclesiæ obtrusa fuit à Concilio *Constantiensi*. Quam verò turpes errores & abominabiles superstitiones in *Tridentino* in præjudicium Evangelicæ veritatis pro stabiliendo Regno Antichristiano,

no confirmata fuerint, notius est, quam ut multis explicari
meretur.

12. Quod si denique Schisma aliquod vel Hæresis ita in
nervum eruperit, ut Adversarii constitutâ peculiari Religionis
Formâ, totis Systematis & totis Castris ab Orthodoxis disside-
ant, & favore sui Magistratus adeoque brachio seculari sufful-
ti pertinaciter contradicere pergant tanquam professi verita-
tis hostes; tum universali promiscuo Concilio adversus *ἀνο-
μαλίαν*, non opus est; nec si quod cogeret, ab eo ex par-
te Adversariorum multum emolumenti expectandum esset.
Pertinaces enim Schismatici plerumque solent suo sensu ab-
undare. Quo casu non contemnendum est iudicium Na-
zianzeni, qui vocatus ad Concilium respondit, se fugere con-
gregationem Episcoporum, propterea quod nullius Concilii
felicem exitum vidisset, nec *λύσιν κακῶν, ἀλλὰ προσθήκην*. T.
2. Epist. 42. 55. ad Procopium.

13. Veruntamen non negandum est, quin Concilia les-
gitimè & decenter instituta multum profint Ecclesiæ & tantum
non necessaria sint in communi ac difficili causâ. Quæ enim
ad communem causam & *ὅλην* Ecclesiæ pertinent, illa com-
muni consilio tractanda & expedienda sunt. Tum causâ quæ
unam vel alteram Ecclesiam particularem exercet, gravior est
nonnunquam, quam ut ei feliciter expediundæ unus vel alter
Doctor & Minister Ecclesiæ par esse queat. Caterorum igi-
tur consilium & subsidium implorandum est, imprimis eorum,
qui nobis & fidei professione & vinculo charitatis devincti
sunt, ut Rete quod sub manibus nostris rupturam minabatur,
illorum qui in alterâ navi sunt, adminiculo conservetur, Luc.
V, 7. Quæ de re etiam S. Apostolus Paulus, evocatos ad se Pres-
byteros Ephesinos monuit, ut communiter attenderent sibi
ipsis & cuncto gregi, in quo Spiritus S. ipsos posuisset Episco-
pos ad pascendum Ecclesiam Dei, quam ipse acquisivisset suo
sangvine. Quod ne de suâ cujusque propriâ cautione *κατ'
ἰδίαν* tantum, sed de communi etiam vigilantia Pastorum erga
se invicem dictum esse intelligatur, latius actutum extendit A-
postolus attentionis requisitæ objectum, addens fore ut *ex illis*
B 2 *ipsis*

ipsis Episcopis exorirentur Viri loquentes perversa, ut abducant post se discipulos: quamobrem omnibus vigilandum esset, Act. XX, 28. ut taceam plus auctoritatis habere & fidem ac obsequium facilius obtinere illud, quod à quibusdam visum ac propositum, communi plurimorum cordatorum Virorum decreto secundum sacras literas definitum ac constitutum est.

14. Quamvis autem *Bellarminus* plures causas recenset, quamobrem Concilium cogendum sit, de quibus suo *Lo*eo videbimus; tamen duo sunt præcipua puncta, quæ illud exigunt ac merentur, quorum unum Doctrinam, alterum Oeconomiam & disciplinam Ecclesiasticam concernit, *Primum* enim quando novæ opiniones disseminantur, tum quo quisque rectè sentientium expeditior est, eo citius; & quo cordatior eo vehementius contradicit & Ecclesiam monet atq; attendere jubet. Hoc enim officium omnibus Episcopis incumbere *S. Paulus* significat, quando scribit, oportere Episcopum inter cetera etiam esse tenacem ejus qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, quo *potens sit* exhortari per sanam doctrinam & contradicentes convincere, Tit. I, 9.

15. Cum autem Ministri Satanae plerumque soleant personam Apostolorum Christi sumere, 2. Cor. II, 13. & erroribus suis plausibili & specioso prætextu probabilitatem aliquam conciliare, permissu Dei facile fieri potest, ut occupentur animi eorum, qui *τα βάθη τῆς σατανᾶς* seu profunditates Satanae non cognoverunt, Apoc. II, 24. illorum autem vel maximè qui personas respiciunt & dotes Hæresiarcharum mirantur. Hinc præjudicia causæ, studia partium, perturbatio Ecclesiæ: Cujus rei evidentissimum exemplum suppeditat historia de invento & oppugnato Arrianismo, ubi quam laudabilis fuit *B. Athanasii* vigilantia, zelus & dexteritas in adserendâ Deitate & gloriâ Christi Salvatoris: tam nefandæ & Christiano nomine indignæ fuisse perhibentur insidiæ & molitiones Arrianorum & Eusebianorum ad perturbandam & opprimendam veritatem, sicut meminit *Theodor. l. i. Hist. Eccl. cap. 8.*

16. Quo casu ut controversia decenter & placidè componi posset, opus est ut illa in Concilio tractetur, utriusq; partis.

ris dissentientis rationes conferantur, utriusque momenta cau-
sæ expendantur; Veritas cœlestis ex suis principiis deduca-
tur & confirmetur, ac denique communi consilio de cetero mo-
do loquendi conveniatur, ne cuivis liceat suo sensu abunda-
re, periculosas & schismaticas phrasas recipere, & præcipiti
zelo bonas innoxias & necessarias voces exautorare. Quan-
tum enim tum ad veritatis vindicationem, tum ad pacem &
concordiam Ecclesiæ interfit, non solum de Veritate Evange-
licâ idem sentire, sed etiam eodem modo loqui, docent *συρρέ-
ξεις* inter Athanasium & Arrianos de voce Homousios, & inter
Græcos ac Latinos de Hypostasi & Personâ agitata.

17. *Alterum* caput spectat ad Oeconomiam & discipli-
nam Ecclesiasticam, ubi communi consilio agendum est de
constitutione & vindicatione pacis & boni ordinis in Ecclesiâ,
ut omnia etiam quoad ritus & circumstantias *ὁμοιότως* fiant,
1. Cor. XIV, 40. Agendum fuerit etiam de emendatione Morum
in ipsis Ministris, de censuris adversus *ἀτακτοὺς*, de deposi-
tione indignorum adeoque de Reformatione totius status cor-
rupti. Non enim cessat Satanas Tritico Domini in agro Ec-
clesiæ sua zizania interferere, & azymo ac sinceræ conspersioni
doctrinæ fermentum corruptelarum injicere, ut novâ subinde
expurgatione carere non possimus, siquidem Ecclesiam à cor-
ruptione perniciosâ conservatam cupiamus.

18. Quo minus repugnamus *Bellarmino*, qui inter cate-
ras causas, ob quas monuerat cogenda esse Concilia, Numero
secundo & quarto etiam ponit *Schisma suspicionem hæreseos &
Tyrannidem Pontificum Rom.* Ab illis namque inventum est,
quicquid abusu & gravaminum Ecclesiam Christianam an-
te B. Lutherum presit & affixit: Per Illos domus Domini in
speluncam Latronum conversa est. Quamobrem omnibus
nervis illuc contendendum erat, ut illud *ἑλέγγμα ἱρημώσεως*
de Loco sancto expurgaretur. Quæ etiam procul dubio causa
fuit, quamobrem Electores & reliqui status Imperii Rom. Pro-
testantes toties & tam instanter Concilium Liberum ac Chri-
stianum postularint. Quo etiam omnino opus fuerat, cum
caussa omnes tangeret, quemadmodum patet ex Gravamini-
bus



bus Statuum in Comitibus Imp. Noribergæ congregatorum de
anno 1523. sicut meminit Sleidanus l. 4. ad annum 523. Cum
enim Antichristus in templo Dei sederet, nec Imperatori in
mentem veniret dicere: *Papa quid facis?* nulla spes tam an-
xiè desideratæ Reformationis reliqua erat, nisi in Concilio E-
piscoporum, quos inter tum temporis adhuc erant Multi pii
ac cordati viri, quos pro liberatione Ecclesiæ adversus Tyran-
nidem & iniquitatem Rom. Pontificum candidè & graviter
pronunciaturos esse, & Status Imperii sperabant & Papa me-
tuebat.

19. Denique si quid in religionis causâ statuendum est,
quod ab omnibus observari debeat, *lex charitatis & prudentiæ*
monet, ut quoad ejus fieri potest, illa præcaveamus, quæ of-
fendunt, & ea faciamus, quæ ædificant. Jam verò in hac
causâ nihil magis offendit animos, quam IMPERATIVUS,
nihil ad concordiam aptius est, quam communicatio consilio-
rum, & illa Fraternalitatis *συγκατάβασις*, qua ne soli videamur
sapere, & alios adspernari velle, eos qui aliquid humani passi
sunt, humaniter audiamus, ac spiritu mansuetudinis instaure-
mus, Gal. VI, 1. & pro re natâ aliarum etiam Ecclesiarum Epi-
scopos ad communem deliberationem & decisionem admit-
tamus. Quamvis enim veritas cœlestis ex verbo Dei demon-
strata semper sit *ἀξιόμιστος* & digna quæ ab omnibus recipia-
tur, 1. Tim. I, 15. tamen modus eam proponendi & usus loquen-
di variat, & alius aliis magis probatur; fortassis etiam Uni
quam Alteri Ecclesiæ accommodatior est. Quod si jam pauci
ὑπερηφάνοι Totis Ecclesiis, inconsultis earum Episcopis
præscribere, & quod ipsis solum videtur, invitis obtrudere vel-
lent, tum quæ humani ingenii imbecillitas est, & carnis corru-
ptæ pertinacia, posset hinc *Importunitas*, illinc *Impatientia* per-
nicioso schismati occasionem præbere. Quamobrem ut scan-
dalo obviam eatur, & omnia prudenter ac fraternè peragan-
tur, juvat infirmioribus condescendere & Concilio rem pro-
ponere, atque ita communem causam communibus votis de-
finire, & hic etiam ad usum transferre, quod Spiritus S. de cor-
datis

dati ac principibus viris pronunciat: *Liberalis liberalia vel liberaliter consultit.* Jes. 32, 8.

20. Quod si autem Spes Concilii per impedimenta inevitabilia frustretur, καὶ δὲ πρὸς πλῆθυσιν ad portum contendendum, & per literas interim cum Aliis de rebus controversis communicandum erit, & quoad ejus fieri potest, eo collaborandum, ut gliscentes controversiæ secundum Regulam S. Scripturæ decidantur, & ὑποτύπωσις ὑγιαίνοντων λόγων in libris Ecclesiarum Aug. Confessionis Symbolicis delineata, facta recta custodiatur. Nam & hoc modo de rebus fidei & statu Ecclesiæ communicari posse cum absentibus & Exteris constat ex *Epistolis Encyclicis Cyrilli & aliorum Episcoporum*, qui quoties lites in Ecclesiâ motæ sunt, priusquam ad Concilium perveniri posset, hoc modo de sedandis turbis inter se communicarunt. Quin etiam S. Apostolus Paulus in diversis Epistolis ad Corinthios, ad Galatas &c. agit cum totis Ecclesiis de Hæresibus, de schismatis, de scandalis. Quemadmodum & B. Johannes meminit, se jussu esse, scribere Episcopis Asiæ, Apoc. II, 2. Scripsisse vero ad alendam & conservandam mutua *κοινωνίαν*. 1. Joh. I, 3. Quare si Doctoribus Ecclesiæ non liceat ad Concilium convenire, & controversias Ecclesiasticas *ὑποπροσώπως* & personali Colloquio tractare & expedire, Epistolari communicatione interea eos contentos esse, oportebit.

III. Cujus sit cogere Concilium?

21. Bellarminus circa hanc Quæstionem distinguit inter Concilia *Diocesana*, de quibus utrinque consensum esse ait, quod ab Episcopo; *Provincialia* quod ab Archiepiscopo: *Nationalia*, quod à Patriarchâ vel Primate, convocari debeant: & inter *Generalia* seu Oecumenica, de quibus maximam esse fatetur Controversiam, utrum munus ea convocandi propriè pertineat ad *Rom. Pontificem*, an ad *Imperatorem*. Et ipse quidem disputat potestatem cogendi Concilia Generalia esse penes Pontificem Romanum. l. i. de Conc. Cap. XII. Nos autem
in

in genere statuimus, illud Axioma convocandi Concilium propriè ad Magistratum pertinere.

22. Quod probamus primùm ab *Objecto potestatis politicae*, quod sese extendit ad omnia externa, veluti sunt, *Locus, Tempus & Modus agendi*, sumtus item & id genus alia. Hæc enim omnia sunt externa, circa quæ potestas Magistratus coactiva & executiva locum habet. Tum Congressus publici respectum habent ad pacem & tranquillitatem publicam, cujus rationem habere Magistratui incumbit. Quamobrem etiam olim *Lex Imperialis* lata fuit, quæ prohibebat omnia Collegia & frequentes hominum conventus sine Imperatoris autoritate, sicut est l. 1. §. de Collegiis illicitis. Quam ipse Cardinalis allegat d. l. c. 13.

23. Idem probamus ab *officio Magistratus circa res Ecclesiasticas*. Incumbit enim illi externa Ecclesiæ inspectio, custodia utriusque tabulæ Decalogi, constitutio ordinis, sustentatio Ministerii, defensio ac reformatio Religionis. Quo fine Deus inter cætera Regi descriptionem ac meditationem Legis suæ commendavit, ut discat ipse timere Dominum Deum suum, & custodire verba & iudicia, quæ in Lege præcepta sunt, Deut. XVII, 19. Et de *Cyro* dicebat Dominus: Quid dico *Cyro*? *Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis, qui dico Jerusalem; Edificaberis & templo fundaberis, Jes. XLIV, 28.* Sic *Davidem* legimus Ecclesiæ curam gessisse & convocata omnium statuum ac Sacerdotum Synodo constituisse certos ordines Levitarum, & certas functionum vices, & id genus alia ad cultum Dei pertinentia, 1. Chron. XXIV, 1. Quod cum sibi quoque incumbere intelligeret *Constantinus M.* Ecclesiæ curam gessit fidelissimè, nec se propterea ipsum veritus est Episcopum appellare. Cum enim aliquando Episcopos convivio excepisset, ita eis inter cætera dixisse perhibetur: *ὁμῆς μὲν τῶν εἰσῶ τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς τῶν Θεῶν καθ' αὐτὸν Ἐπίσκοπος εἰμὶ.* Vos estis Episcopi in Ecclesiâ; Ego vero constitutus sum à Deo Episcopus extra Ecclesiam. Euseb. de Vita Const. l. 4. c. 24. significans sibi tanquam Magistratui externam curam & custodiam Ecclesiæ incumbere.

CON-

constat deniq; ex glossâ Decreti dist. 84. quod Imperatores per aliquot centenos Annos à Nativitate Christi, Leges tulerint de rebus Ecclesiasticis & quod Ecclesia illis morem gesserit. Quod ipsum confirmant in Codice Tituli de Ecclesiis de Episcopis & Clericis.

24. Tertio probamus hoc ipsum à praxi veteris Ecclesie. Constat enim ex Testimonio Antiquitatis, quod omnia legitima Concilia, præcipuè vero quatuor illa Oecumenica ab Imperatoribus coacta fuerint. Nam Nicenum primum, quod Anno Domini 325. celebratum est contra *Arium* convocavit *Constantinus Magnus*, de quo Eusebius l. 3. de vita Constantini M. cap. 6. inter cætera sic scribit: εἶθ' ὡσπερ ἐπιστρατεύων αὐτῷ Θεῷ Φάλαγγα, Σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότησεν ὡς δὲ ἅπαντα χόρηται τὰς ἐπισκόπους γράμμασι λιπητικοῖς προκαλέσας, ὅτι ἢνθ' ἀπλῆν τὸ ἐπίταγμα, συνήργη δὲ καὶ αὐτῇ πράξει τὸ βασιλέως νεῦμα. Synodum Oecumenicam coegit, Episcopos ut eo maturarent, undiquaque Literis honorificis convocans, & velut Dei quandam Phalangem educens. Nec mandatum duntaxat erat ad hanc rem datum, sed in ea peragenda multum attulit subsidii autoritas Regis. Idem testatur Socr. l. 1. cap. 16. Vid. Tom. I. Conc. f. 233. Secundum Concilium Constantinopolitanum, quod Anno Domini 381. contra *Macedonium* celebratum est, congregavit *Theodosius Magnus*, de quo sic scribit Socrates: Cogit Imperator Theodosius aliud Concilium, imperatque ut singulæ sectæ Fidei quam tenebant declarationem literis proderent. Οὐ γὰρ ἠνέχετο ὅσον τὸ ἐπ' αὐτῷ Ἰουδαίων πληρῶσαι τὰς πόλεις, ἀλλὰ βραχέως χρόνῳ διελθόντων αὐτῶν σύνοδον πασῶν τῶν αἰρεσέων συγκροτηθῆναι παρεσκεύασεν, νομίσας ἐκ τῆς αἰρέσεως τῶν ἐπισκόπων διαλέξεως μίαν παρὰ πᾶσιν ὁμόφωνον δόξαν κρατήσθαι. l. 4. Hist. c. 2. Et pressius Theodoretus: τέττα δὴ ἕνεκα μόνης τῆς οἰκίας βασιλείας τὰς ἐπισκόπους εἰς τὴν Κωνσταντινῆσιν συναθροισθῆναι προσέταξεν, l. 5. cap. 7. Tom. I. Conc. f. 405. Tertium Concilium Oecumenicum *Ephesinum*, quod anno Christi 431. contra *Nestorium* celebratum est, coegit *Theodosius II.* Sic enim de illo *Euvagrius* l. 1. cap. 3. Hæc nefaria Nestorii dogmata cum *Cyrillus* Episcopus

C

pus



pus Alexandriae Vir ipsa Famee celebritate insignis, sigillatim per literas refutasset; Nestorius scriptis ejus reluctatus & neque Cyrillo neque Coelestini antiquae Romae Episcopi consiliis morem gessit, sed suum virus nihil veritus evomuit in Ecclesiam, postulavitque ut Authoritate ac nutu *Theodosii Junioris*, qui tum Orientis administravit imperium, primum Concilium Ephesi cogeret. Itaque *Litterae Imperatoriae* erant ad Cyrillum & alios omnes ubique sanctarum Ecclesiarum Praesides missae, quae diem Pentecostes, quo die Vitalis & sacer Spiritus ad nos descendit conventui praestituerunt. Idem testantur ipsi Patres Concilii Tom. I. Conc. p. 607. Quartum Concilium Oecumenicum *Chalcedonense*, quod anno Christi 451. Chalcedone adversus *Eutychen* celebratum est, coegerunt *Valentinianus & Martianus* Impp. sic enim in Exordio primae Actionis scriptum est: In Chalcedonensi Civitate Metropoli provinciae Bithyniae facta est Synodus ex decreto piissimorum & fidelissimorum Impp. Valentiniani & Martiani, congregatis in Ecclesia s. ac triumphatricis Martyris Euphemiae gloriosissimis Judicibus. Tom. I. Conc. p. 736. Idem testatur *Evagrius* l. 2. cap. 2. Similiter vero & *Carolus M.* perhibetur in Galliis convocasse quinque Concilia Provincialia & unum Generale. De *Constantiensi* fatetur ipse *Gregorius XXII.* quod ab *Imperatore Sigismundo* coactum fuerit. Unde non dubitamus adserere, quin potestas illa convocandi Concilia Generalia in Imperio Romano hodieque spectet ad Axioma Imperatoris Rom. & in genere ad *Politicum Magistratum*.

25. Nunc videamus quibus Argumentis *Jesuita* pugnet pro *Pontifice Romano* contra Imperatorem & Magistratum politicum. Sic vero ille: *Esse revera Pontificis, non Imperatoris congregare Synodum generalem, primo, demonstrari potest ex S. literis.* Nam Concilium Ecclesiae non est legitimum, nisi congregetur *in Nomine Christi*, ut dicitur Matth. XIX, 20. congregari autem *in Nomine Christi* nihil videtur esse aliud, quam congregari auctoritate Christi, h. e. ab eo qui a Christo habeat congregandi auctoritatem. Et mox postquam aliquot *Calvini* verba recensuisset, actutum concludit: *Maneat igitur congrega-*

gregari in Nomine Christi nihil aliud esse, quam *ab eo congregari, qui habet à Christo potestatem congregandi.*

26. Resp. Hæc Formula in Nomine Christi variè usurpatur, vel de autoritate Christi, sicut Apostolis concessa erat potestas ejiciendi dæmonia *in Nomine Christi*, Marc. XVI, 17. vel de interpositione Nominis & fiducia meriti Christi & ad gloriam ejus, quemadmodum nos jubemur *potere in Nomine Christi*, Joh. XVI, 23. Similiter Apostolus monet, ut quicquid fecerimus opere ac sermone, illud omne peragamus in Nomine Domini Jesu, Col. III, 17. Quorum certè nihil fieri convenit in Nomine vel Autoritate Pontificis Rom. Sic congregari in Nomine Christi est autoritate Christi & cum Invocatione Nominis ac fiducia meriti ipsius nec non ad gloriam ejus convenire. Loquitur enim Christus in genere de omni congregatione Christianorum, quæ fit orandi gratiâ. At illa non opus habet peculiari indictione Pontificis Rom. Nam & in speluncis olim convenerunt Christiani ad preces in Nomine Christi, An vero & ibi exspectanda fuit Papalis convocatio? *Deinde* dictum illud explicat fundamentum promissæ Exauditionis, quod est *Nomen Christi*, in quo dominus aliàs etiam suos orare jusserat, cum promissione exauditionis. Joh. 16, 23. Ad hæc priora quoque quatuor Occumenica Concilia in Nomine Christi celebrata fuerunt: Sed id factum non est in Nomine & autoritate Papæ. Nec dubium est, quin *Comitia Imperialia in Nomine Christi* celebrentur; sed nec hoc fit in Nomine & autoritate Papæ. Quin imo si quid ejus sibi Papa arrogaret, non immeritò tanquam *πολυπραγμων* repelleretur.

27. Quod autem Papa in specie & exclusive à Christo acceperit autoritatem, conatur quidem Jesuita probare illa ad Petrum directâ *Πασce ovēs meas*: *Pasce ovēs meas*. Christus (ait) non commisit Ecclesiam gubernandam *Tyberio*, sed *Petro Apostolo*. Et quis non videt *ovine conveniat, congregare Pastores, an Pastori potius congregare oves?* Igitur cum Pontifex Pastor sit, Imperator ovis non ad Imperatorem, sed ad Pontificem spectabit munus Concilia Episcopalia convocandi.

Verum meminerit Cardinalis, *Pastoratum Ecclesie dupli-*



cem esse, unum *Ecclesiasticum*, qui consistit in prædicatione verbi, exercitio utriusque clavis & dispensatione Sacramentorum, qui S. Ministerio commendatus est, Act. XX, 28. *Alterum Politicum*, qui consistit in *vouo* *ſerua* dispensatione juris & iustitiæ, constitutione & conſervatione boni ordinis, sustentatione & defensione Ecclesiæ, qui commendatus est Magistratui politico, Jes. XLIX, 23. 1. Chron. XII, 2. Ps. LXXVII, 71. Quare *pro diuersâ relatione & consideratione Imperator Pastor & ovis est*. Sic David cum moneretur de adulterio *ovis* erat: cum autem congregatis Levitis & viris Juda, arcam Fœderis deduceret, 2. Sam. VI, 1, & Levitas in certos ordines distribuere, *Pastoris officium* faciebat, 1. Chron. XXIV.

28. Quod igitur addit Jesuita, *non Tiberio, sed Petro* dictum esse: *Pasce oves meas*; de officio pascendi Ecclesiastico seu Ministerio verbi verum est; sed *de Regimine externo falsum est*. Nam & *Tiberius* erat Pastor Ecclesiæ sed Politicus, cujus erat providere, ut Christiani placidam & quietam vitam degerent in omni pietate & honestate, 1. Tim. II, 2. Non autem quaeritur quomodo Tiberius illo officio erga Ecclesiam functus sit; aliàs dispiciendum etiam esset, quomodo Pontifex Rom. suo pastoratu fungatur, ubi valde metuendum est, ne *pro Pastore lupum* deprehensuri simus. Quomocunque enim se gesserit Tiberius tamen negari non potest, quin Magistratum gesserit, & ratione illius officii debuerit Ecclesiæ saluum conductum & patrocinium præstare, quemadmodum postea fecit Constantinus Magnus.

25. Secundo dicit *Bellarminus* Concilium Generale ab eo indici debere ex auctoritate, *qui possit omnes cogere*. Nul- lum autem Imperatorem, unquam subjectam habuisse totam Ecclesiam, ut eam habeat Pontifex Rom. quoad actiones spirituales. Nec subijci Imperatori *Italos, Hispanos, Gallos &c.* qui suos proprios Reges habeant. Imo si nullus esset Imperator, aut Princeps Christianus, nihilominus fieri posse Concilia.

30. R. Jesuita primùm confundit *potestatem spiritua- lem cum Politicâ*. De hac enim quaeritur, non de illâ. Deinde Imperatoris auctoritas, quamvis sese latius non extendat, nisi ad

ad Episcopos suo Imperio subjectos: tamen ad minimum Syn-
odum Imperialem posset cogere. De cæteris verò congregan-
dis, si quid interesset eos convocari, posset agere cum illorum
Magistratibus, quos ad Ecclesiæ Reformationem ipsi non de-
futuros esse plane speramus. Sic factum est tempore *Sigismun-
di* Imp. qui *Constantiense* Concilium congregavit ex Germania,
Italia, Gallia, Britannia & Hispania, suppetias ferente cujus-
que Nationis Magistratu. Quæ de re B. Lutherus ita scribit:
Da theten zusammen die fünf Nation / Deutschland /
Welschland / Frankreich / Engelland / Spanien und holf-
sen / daß zu Costniz ein Concilium ward / welches Keiser
Sigismundus mit grosser Müh zusammen bracht. Tom. 8.
Jen. 210.

31. Quod autem ait *Pontificem* subjectam sibi habere
totam Ecclesiam, de Tyrannide, qua illam ante hac oppresit,
& alicubi adhuc premit, fatemur & deploramus: De Jure vero
& legitimâ potestate pernegamus. Quin etiam illa potestas
ejus, quam vi & fraude occuparat, sese non amplius ad totam
Ecclesiam extendit. *Dani, Sueci, Britanni &c.* jugum Pon-
tificis Rom. per Dei gratiam feliciter excusserunt. Bona Pars
Germaniæ Papam habet *pro Primogenito Satanae*. *Galli* pluris fa-
ciunt Papam foris, quam domi. Sed & *Hispani*, Spiritum S.
Romæ non semper spirare, experti sunt. Non est igitur cur
Jesuita de Amplitudine potestatis Pontificiæ tantoperè glorie-
tur. Quod novissimè annectit, fieri posse Concilia, si ma-
ximè nullus esset princeps Christianus; non diffitemur. Sed
tum Ecclesia foret *in alio statu*. Nunc autem quaritur de illo
statu, quando Ecclesia habet Christianum Magistratum, cujus
tum sit Concilium cogere Principis an Episcopi, Imperatoris
an Pontificis Romani?

32. TERTIO, confert Jesuita Metropolitanos cum Ponti-
fice & argumentatur à *Minori ad Majus*. Licere Metropolita-
no Provincialia, & Primate seu Patriarchæ Nationalia Conci-
lia convocare. Quare licere etiam Pontifici Rom. universa-
lia cogere.

33. R. primū negamus conseq. propter falsam Hypothesin quā nititur, quasi Pontifex Rom. sit Monarcha Ecclesiæ, qui καθόλως & universaliter possit agere, quod Metropolitanī & Patriarchæ ἐν μέρει. Deinde Antecedens quoque falsum est. Nam Metropolitanī, sicut ab ipso Imperatore designabantur, ita non habebant propriam & αὐτεξουσίαν, sed à Magistratu Politico delegatam, & Legibus definitam potestatem agendi, quicquid hujus agebant. Vid. Acta Conc. Chalced. cap. 12.

34. QVARTO conatur idem probare, ex illo Antiquissimo Canone, quo statuatur, *præter sententiam Rom. Pontificis non posse Concilia celebrari.* Quem Canonem Apostolicum esse scribat Marcellus Papa, & alleget Socrates l. 2. cap. 13.

35. R. Primum Canon ille *inter Apostolicos non invenitur*, & si maximè inveniretur, tamen ordini divinitus constituto & Magistratus Axiomati non potest præjudicare. Certum est enim & ex illis ipsis Canonibus probari potest, quod diu post Apostolorum tempora, ab obscuro quodam Rhapsodo compilati sint. Deinde meminit quidem & Socrates cujusdam Canonis Ecclesiastici, qui statuat *μη δειν ἄλλο τινὲ γνώμην τῶ Ἐπισκόπου Ῥώμης ἐκκλησίας κανονίζειν*: non licere præter consensum Episcopi Romani Ecclesias canonizare. Ubi Bellarminus quidem existimat τὸ ἐκκλησίας κανονίζειν esse, *Concilium convocare seu Concilium indicere*: sed rectè observatum est *ἐκκλησίας κανονίζειν non esse Concilia indicere, vel celebrare, sed Canones Ecclesiasticos condere & Ecclesiis observandos prescribere.* Quam ad rem non immeritò requisitus fuit Consensus Romani Episcopi, qui unus erat inter præcipuos, ne quod ab omnibus observandum esset, sine præscitu & consilio præcipui cujusdam Patriarchæ statueretur. Sed hoc non est in Quæstione.

36. Quæ porro affert Argumenta ex Actis Concilii Chalcedonensis de Dioscuro; & Concilii Niceni II. de Concilio quodam Constantinopolitano; itemq; ex contentione Papæ *Symmachii cum Rege Theodorico* super convocatione Synodi; nec non à Testimoniis aliquot Pontificum Rom. prolixâ refutatione digna non sunt. Dioscorus Ephesi coegerat Synodum sine præ-

praescitu & consensu Rom. Episcopi, quod ipsi non licebat.
Tum & alia plura designarat quibus damnationem meritus e-
rat. Concilium Nicenum II. fuit illegitimum & idololatricum
siquidem cultum imaginum probavit. Nullius igitur Auctori-
tatis. Rixas Symmachi & complicum cum Rege Theodorico,
quod attinet; eas nos non moramur, sed ex illis agnoscimus
Paparum insolentiam & Mysterium iniquitatis, de quo supra
dictum est, quod jam eo tempore ceperit operari. Quo referi-
mus & cætera Testimonia ex Epistolis Pontificum & Decreta-
libus petita, quæ plena sunt Antichristianæ Arrogantiæ & πο-
λυπεγαυμοσύνης.

37. Cum autem Jesuitæ animadvertant, illam Veteris
Ecclesiæ praxin superius à Nobis propositam Primatum Pon-
tificis Rom. non parum suspectum reddere, modis omnibus
eam obscurare & convellere conantur. *Bellarminus* enim cum
hoc Argumentum cum suis fundamentis sibi solvendum sum-
sisset, primum in genere sic excipit: Ad hæc respondeo, primò
ista argumenta posse à nobis merito contemni. Nam Adversarii
nostri nolunt argumenta peti efficacia ex Traditionibus aut
consuetudine Ecclesiæ, sed solum ex divinis literis. Ista autem
argumenta omnia petita sunt ex merà Traditione & praxi Ec-
clesiasticâ sine ullo Scripturæ Testimonio. *Secundo* dico posse
nos opponere consuetudinem consuetudini. Si enim quatuor
aut quinque Concilia Imperatores indixerunt, plura quam duo-
decim indixerunt Pontifices, ut Adversarii etiam fatentur.
Tertio dico, nullum esse Concilium Generale Catholicum, à
solo Imperatore indictum, id est, sine consensu & auctoritate
Rom. Pontificis, id quod breviter de illis quinque sigillatim o-
stendo. Hactenus generales exceptiones.

38. R. Autem ad primum dist. inter *Quæstiones Histori-
cas & dogmaticas.* In Quæstionibus Historicis Traditiones &
Testimonia Antiquitatis primavæ Nos omnino admittimus,
& reverenter habemus; non perinde in dogmaticis. Nam
de Articulis fidei & dogmatis ad salutem scitu necessariis sa-
tis provitum est Ecclesiæ per Volumen sacrarum Scriptura-
rum. Sed quæ fuerit illius post Apostolorum tempora, *Oeco-
nomia*, illud non aliunde, nisi ex Monumentis Antiquitatis
co-

cognosci potest Falsissimum vero est, quod Jesuita dicit, hoc Argumentum petiitum esse ex merâ Traditione & praxi Ecclesiastica sine omni Scripturæ Testimonio. Fundamus enim sententiam nostram præcipuè in S. Scripturâ, Deut. 17, 19. 1. Chron. 24, 1. Ier. 44, 28. & cap 49, 23. &c. Rom. 13, 1. 1. Tim. 2, 2. 1. Petr. 2, 13. &c. *Jus & Axioma* ipsum probamus ex Verbo Dei: *Usus Juris* & praxin ex Antiquitate Ecclesiasticâ. Tum si maximè Argumentum hujusmodi contra nos inefficax esset, tamen καὶ ἂν ἔρωπον vim haberet adversus Papistas, qui Traditiones pari pietatis affectu recipiunt atq; Scripturas ipsas.

39. Ad Secundum dicimus posteriorem consuetudinem, qua Pontifex sibi usurpavit potestatem convocandi Concilia esse *meri Facti*, & arguere πολυπραγμοσύνη illâ Antichristi, de quo Apostolus prædixit fore, ut sese efferat, super πάντες βασιλεύει. 2. Thess. 2, 4. Vitiosam igitur consuetudinem legitimæ & incorruptæ derogare vel præjudicare nihilomais posse, quam Antichristum ipsi Christo.

40. Ad Tertium, quod Jesuita excipit nullum ex Oecumenicis Conciliis à solo Imperatore sine consensu & autoritate Pontificis Rom. indictum aut coactum fuisse; respondeamus dist. inter *Causam principalem*, quæ oblatâ occasione cum autoritate decernere & jubere potest; & inter *causam à Πορμὴν ἔχει*, quæ illi occasionem præbet, petit & suadet. Concedimus enim ultro Episcopis licere Synodi congregationem postulare, si necessitas exigat, & Ecclesiæ ædificatio requirat; & existimamus, quod illi hac de re in consilium adhibendi sint; quippe ad quos Controversiarum Theologicarum Tractatio propriè & proximè spectat, & quibus Cura Oeconomix Ecclesiasticæ intimior incumbit: Verum in hoc statu, quo Ecclesia suum habet Magistratum Christianum, negamus, quod Presbyterio & maximè quod Episcopo Romano liceat Concilium generale indicere, & Episcopos cum Autoritate jubendi ad Synodum convocare. Hæc enim potestas externa est, & unicè ad Hierarchiam politicam spectat. Quare si maximè probaverint Jesuitæ Imperatores consultis & consentientibus Episcopis Synodos coegisse: tamen hoc nobis manet firmum & incon-

inconcussum Solis Magistratibus Superioribus, competere Axioma
& potestatem autoritativam Concilia Episcoporum congregandi.

41. Nunc videndum est, quid ad singula in specie exci-
piant Adversarii. *Bellarminus* d.l. ex Sexta Synodo Act. 18. con-
tendit probare, Constantinum & Sylvestrum Magnam Syno-
dum apud Niceam congregasse. Affert etiam testimonium
Damasi, qui scribat Concilium illud cum Sylvestri consensu
habitum esse; & Ruffini, *Constantinum* ex sententiâ Sacerdo-
tum Concilium indixisse. Similiter *Spondanus* in Anal. Eccl.
ad annum Chr. 325. restringit Testimonium Sozomeni, de Indi-
ctione Constantini, & illud ait sic intelligendum esse, quod Li-
teris Illius Episcopi convocati fuerint; addit autem: Ceterum
quod religio esset absq; Romani Pontificis Auctoritate univer-
salem Synodum congregare, id omnino prohibente (ut ait So-
crates) Canone Ecclesiastico, quo vetitum erat, ne decreta
absque sententiâ Episcopi Romani Ecclesiis sancirentur, *inter-*
positam esse Sylvestri auctoritatem nemo jure poterit dubitare:
actumque de his anno præterito inter Sylvestrum & Constan-
tinum Romæ, probabili argumentatione declaratum ibi est
fol. 276.

42. R. Primam adsertionem ex Tomo Conciliorum pe-
titam non magnæ autoritatis esse significat *Bellarminus*, qui lib.
1. de Conc. cap. 2. dicit illos libros negligenter ad servatos fuisse,
& multis vitiis scaterere, quæ ex Veterum Lectione corrigenda
sint: Falsitatis vero eam redarguit Sozom. l. 1. cap. 17. & Niceph.
l. 8. c. 14. qui scribunt *Sylvestrum jam mortuum fuisse*, & locum e-
jus tum temporis tenuisse Julium. Nec tollit hanc difficulta-
tem *Spondanus* eo, quod Autores illos erroris accusat, & se tue-
tur autoritate Perronii Cardinalis. Nisi enim ex Antiquitate il-
los erroris convicerit, tum ipsius judicium pariter ac Perronii
contribulis testimonium tanquam suspectum non immerito
rejecit. Et si maximè adhuc in vivis fuisset Sylvester, & suo
hortatu Synodi convocationem apud Imperatorem urhisset &
promovisset, ut dici potuerit, *Constantinum & Sylvestrum Syn-*
odum illam congregasse: tamen distinguendum est inter
finem ad quem ambo pariter contenderunt, & inter ma-
dum

dum disparem quo sive Cæsar sive Episcopi eo contenderunt. Actus *Episcoporum* fuit consultivus & *petitorius* consistens in petendo, hortando & impetrando: sed *Imperatoris* Actus fuit Autoritativus & *jurisdictionalis*. Quod agnovit ipse Leo Rom. quando scripsit. se non potuisse Concilium convocare, sed hoc esse Imperatoris. Epist. 43-53. Quo facit & istud, quod *Ruffinus* scribit, Concilium indictum fuisse ex sententiâ sacerdotum. Quæ enim hic prærogativa Romani Episcopi colligi possit ex eo, quod cæteris *Sacerdotibus commune* fuit? Quod verò *Spondanus* putat neminem jure dubitare posse de interpositâ autoritate & præviâ Tractatione Sylvestricum Imperatore, hoc nullâ probabili Argumentatione declaratum sed potius contrarium demonstratum est.

43. Quod Canonem illum Ecclesiasticum attinet, quo *Socrates* scribat sancitum fuisse, *ne decreta absq; sententiâ Episcopi Romani Ecclesiis sancirentur*, ille revera Ecclesiasticus est, & respicit Episcoporum consultationes ac decreta à quorum Constitutione Romanus non excludendus fuerit, cum omnia debuerint communi consilio tractari & *ὁμοθυμαδόν* decerni. Sed hoc nihil ad rem facit. Non enim quæritur de potestate in Concilio suffragandi ac decernendi de causis Ecclesiasticis: sed de Axiomate Concilium cogendi & Episcopis officium illud demandandi. Non ergo sequitur: Sine quo non licet Decreta statuere, sine illo etiam non licet Concilium convocare. Nam ut taceam, diversam esse potestatem Unam ab Alterâ, sicut dictum est; hoc etiam sequeretur, cæteros Episcopos omnes, quibus potestas de causis Ecclesiæ cognoscendi & decernendi communis erat, communiter etiam habuisse potestatem Concilia convocandi, quam tamen soli Papæ vendicant Jesuitæ. Relinquitur igitur quod *Concilium Nicense* à solo Imperatore *Constantino M. sine Episcopo Rom. congregatum* fuerit.

44. De *Constantinopolitano* excipit *Bellarminus* d. l. Theodosium non tam illud indixisse, quam literas Pontificis Damasi quibus Concilium indicebatur ad Episcopos misisse. Quod probare nititur ex literis Episcoporum in illo Concilio congregatorum ad Damasum apud Theodoretum in illo Concilio con-

congregatorum ad Damasum apud Theodoretum l. 6. Hist. c. 9. ubi sic scribunt: *Mandato literarum superiore anno à Vestra Reverentiâ ad sanctissimum Imperatorem Theodosium misarum, ad iter duntaxat Constantinopolin usq; faciendū nos preparavimus.* Unde concludit Cardinalis, licet Theodosius Concilium indixerit, tamen indixisse illud ex mandato Apostolicarum literarum. Spondanus vero ad annum Christi 381. contendit illud *autoritate Damasi Papæ* celebratum esse, & pro hac sententiâ allegatum Regulas Ecclesiasticas & Patrum Instituta, quæ Synodos facere & Decreta in Ecclesiis sancire absq; Romanorum Pontificum auctoritate vetant, sicut pateat ex *Epist. Damasi ad Episc. Illyr.* apud Theodoretum l. 2. cap. 22. Tum *per vetustos aliquos Codices Bibliothecæ Vaticanæ & S. Mariæ Majoris*, quæ res gestas Damasi contineant, & idem adfirment; Tum etiam Testimonium Patrum in Synodo sextâ congregatorum, Act. 18.

45. R. In Literis Episcoporum ad Damasum nulla fit mentio *mandati*. Sic enim habent Verba apud Theodoretum: *ἐκ τῶν πρῶτων γραμμάτων τῶν ὡς εἶπε τῆς ἡμετέρας τιμιότητος* &c. Ex Literis superiori tempore à Vestra Reverentiâ datis &c. Literas datas esse ab Episcopo, pro impetrandâ Synodo fate-mur: *Mandatum Episcopale ad Imperatorem nullum reperimus.* Quid? quod illi Ipsi Patres Synodales in Epistolâ ad Damasum scribant; Synodum Romæ fuisse à Damaso indictam *Ἀπὸ τῶν τῆς Θεοφιλεστάτης βασιλέως γραμμάτων* per Literas piissimi Imperatoris Theodosii, sicut est apud Theodoretum l. 5. cap. 9. Ex quibus patet hoc Axioma regium soli Imperatori proprium fuisse. Quæ Spondanus addit, nullius sunt momenti. De Regulis enim Ecclesiasticis jam dictum est, eas non ad axioma Jurisdictionale regium, sed ad causas Ecclesiasticas sese extendere. Nunc hoc adjicimus, *Testimonium Damasi in propriâ causâ* nullam vim probandi habere. Quod si autem omninò probari possit, Damasum vel quemcunque alium sedi Romanæ potestatem illam regiam arrogasse, tum fatendum est, *Μυστήριον iniquitatis* eo sensim tempore, capisse *ἐνεργεῖσθαι*, 2. Thess. 2, 7. Ex quo tamen nondum probatur, vel Damasum Concilium illud coegisse, vel Axioma illud cogendi Concilium

lium generale per se & jure ad Pontificem Rom. pertinere. Quos porro allegat pervetustos Codices Bibliothecæ Vaticanæ, nos tanquam suspectos rejicimus, & ineptos ad infringendum id, quod in jure divino fundatum, & publico testimonio Classicorum Autorum confirmatum est. Quam parum denique tribuendum sit Actis Synodi Sextæ, paulo ante cognovimus ex ipso Bellarmino. Qua ratione evictum est, *solum Imperatorem Theodosium Concilium Constantinopolitanum coegisse.*

46. De Ephesino conatur Cardinalis testimonio Prosperi probare, illam Synodum factam esse *Cyrilli industriam & Celestini autoritate.* Constat etiam, addit ille, ex Evagrio l. 1. cap. 4. & ex Epist. Celestini ad Cyrillum, & ex Photio l. de Septem Synodis, Cyrillum profectum esse ad Synodum tanquam Legatum Apostolicæ sedis, quod est argumentum certum, eam Synodum non sine consensu Pontificis coactam esse.

47. Hic primum monendus est Jesuita de *Statu Controversiæ.* Non enim quæritur *de instinctu*, quo Episcopus Romanus vel alii Imperatorem ad indicendam Synodum induxerint; aut *de Consensu* quo illius Institutum ipsi approbarint; neque *de potestate* controversias Synodales *disceptandi* ac decidendi; *Sed de jurisdictionali axiomate* Episcopos ad illam Synodalem Expeditionem convocandi. Habent omnino Episcopi potestatem Imperatori necessitatem Ecclesiæ exponendi, & ab eo Synodi generalis coactionem petendi. Habent etiam potestatem in ipsâ Synodo Quæstiones controversas disceptandi, & de iis communi consilio secundum S. Scripturam decernendi. Verum potestatem cum autoritate & imperio Synodum generalem indicendi non habet quisquam Episcoporum, sed solus Imperator & in genere Magistratus Politicus, sicut in præcedentibus evictum est. Quod jam discursum Bellarmini attinet, ille nec probat, nec infert, quod in Quæstione versatur. Primum enim Testimonium Prosperi pervertit & ambiguitate phraseos in alienum sensum detorquet. Sic enim habet illud: *Huic impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Episcopi industria & Papæ Celestini repugnat autoritas.* Ubi quod de Synodali causæ Tractatione dictum est, Jesuita vult de indictione Synodi

odi dictum videri, quando Prospero tribuit, ac si scripisset, Cyrilli industria & Celestini autoritate Synodum factam vel indictam esse.

48. Deinde quod addit, ex Evagrio, Photio & literis Celestini constare, quod *Cyrillus* ad Synodum venerit, tanquam *Sedis Apostolicae Legatus*: non caret astutiâ Jesuiticâ. Hoc enim dicit ad extollendum Papam supra Synodum, ut qua *Cyrillus* Concilio præsedet autoritate, eam Episcopo Rom. vendicet. Verum sciendum est, *Cyrillum* cum ante Synodum cum Celestino de Nestorii impietate & de frequentandâ Synodo egisset, ea occasione delatas sibi Episcopi Rom. partes unâ in se suscepisse, suffragium & consensum illius, tanquam Coepiscopi in causâ contra Nestorium Episcoporum congregationi exponendi. Sed ita alii quoq; Episcopi, quando per obstacula præpediti Synodum accedere non potuerunt, vota sua Coepiscopis delegarunt. Quid verò hoc ad indictionem Concilii generalis? Quid item ad præminentiam Episcopi Romani? *Spondanus* igitur quamvis & ipse legationem illam Romanam valdè conetur extollere: tamen fatetur *Episcopos omnes literis Theodosii evocatos esse*. A. C. 431. §. V. *Evagrius* vero *Cyrillum etiam Celestino præponit, & Literas Imperatoris ad illum præceteris directas fuisse scribit*. l. 1. cap. 3.

49. De Chalcedonensi Thesin suam probaturus Cardinalis confirmationis loco producit partim Epistolam Imp. Martiani, qua rogarit Pontificem, ut ad Synodum veniret: partim Epistolam Episcoporum secundæ Mæsiæ ad *Leonem imperatorem*, qua testentur multos Episcopos Chalcedone convenisse per jussionem Leonis Rom. Pontificis, qui verè *caput sit Episcoporum*: partim vero etiam Epistolam *Gelasii* ad Episcopos Dardaneos, qua scribat, *solam Apostolicam sedem*, ut Synodus Chalcedonensis fieret, suâ autoritate effecisse. Deniq; accusat *Magdeburgenses* alicujus lapsus circa Exclufivam SOLA, qua putarint excludi *Imperatorem*, cum tamen non ipse, sed aliæ sedes Episcopales exclusæ fuerint. *Spondanus* cum nihil haberet, quo indictionem Concilii Generalis non solum ad Cæsarem, sed simul etiam ad Papam spectare, probabiliter adserere posset,

fatetur *Martianum* Imp. publicam sanctionem edidisse ad omnes Episcopos, qua eos primum Niceam in Bithyniâ convocavit; addit tamen obiter, quod ipse Patribus congregatis suam præsentiam expectare jussis rescripserit, *Visum esse apostolicæ Sedis Legatis, ne absque Imperatoris præsentia Synodus ageretur.*

50. R Imperatorem indixisse Synodum illam adsertum est, Supra ex Actis Concilii & allegatis Literis convocatoriis ipsius Imperatoris. Quod verò Imperator dicitur rogasse Pontificem ut veniret, hoc *non probat defectum*, aut remissionem potestatis regiæ, *sed modestiam & reverentiam imperantis.* Altera Epistola Episcoporum Secundæ Mæsiæ non habetur in Actis Concilii, nec si reperiat in ipsis Actis publicis aliud testantibus potest præjudicare. Tum necesse fuit ut quando Episcopus Rom. Literas & mandatum Imperatoris suæ Diæceseos Episcopis insinuavit, eos jussit ipsi morem gerere. Verum quod Imperator jussit *αὐτοκράτορας* indicendo; vigore accepti illius diplomatis jussit etiam Episcopus Rom. *ἑκπετικῶς* promulgando & monendo, ut ei satisfaceret. Quin etiam illæ ipsæ Literæ commemoratam jussionem communiter *Anatolio* Patriarchæ & *Leoni* Romano Episcopo adscribunt. Quid vero hoc ad *ἑκπετικῶν* Pontificis Romani?

51. Literas Gelasii recensemus cum Centuriatoribus inter *vanitas & mendacia Adulatorum*: Nec videre possumus, quem illi lapsum commiserint Exclusionem de excluso Imperatore accipiendo. Hoc enim Thema probandum sibi sumserat Cardinalis cap. 12. *Esse reverem Pontificis, non Imperatoris* congregare Synodum generalem. Huc & non alio tendunt ea, quæ ipse attulit ex Literis Episcoporum Mæsiæ de Jussione Episcopi Rom. omissâ mentione Imperatoris: ex Literis Gelasii, de autoritate sedis Apostolicæ, qua factum sit, ut fieret Synodus Chalcedonensis: Ex Literis denique ipsius Imperatoris, quibus ille rogarit Episcopum Rom. ut veniret ad Synodum, & significaret, quæ ibi agi vellet; Ut evinceret Jesuita *Imperatoris interventum atq; ipsam coactionem Concilii ultimo pendere ab Autoritate, nutu & jussione Pontificis Rom.* quam etiam sen-

sententiam hodie palam profitentur & ipsa praxi, quamvis ini-
quâ demonstrant Papistæ. Quod ipsum & *Spondanus* intendit,
quando Imperatorem ita rescripsisse meminit; *Visum esse Apo-
stolica sedis Legatis, ne absq; Imperatoris presentia Synodus agere-
tur.* Ut: scilicet significet agnovisse Imperatorem, quod sibi
non liceret Synodo interesse, nisi id Apostolicæ Sedi visum fu-
isset. Quam sententiam postea luculentius proponit, quan-
do recitatâ Sebasteni Responsione de excludendis Laicis Judi-
cibus ab Actionibus regularibus seu Synodalibus suam tandem
Directiōem subjicit: *Ex quibus vides, quantum sibi Laici, ipsi
Judices seculares, sive in Synodis, sive in aliis Ecclesiasticis causis
deberent vindicare!*

52. Verùm præterquam quod Jesuita Literarum illarum
Imperatoris nullum certum vestigium indicat, verba illa hunc
sensum præ se ferunt, *quamvis Imperator ob Attilæ irruptionem
sui absentiam excusandi causam habeat justissimam, quia tamen
Episcopi Occidentales presentiam ipsius tam instanter petant ac re-
quirant, velle se illis vel tandem hanc gratiam facere, & ad Syno-
dum accedere, sed hac conditione, si adhuc paululum velint exspe-
ctare.* Quæ certè non est confessio dependentiæ, sed excusa-
tio moræ & instantiæ Episcopalis significatio. Sed hac de re ali-
bi disputandi locus erit.

53. De *Sardicensi* memorat Bellarminus ex Socrate l. 2.
c. 16. Episcopos Orientales culpam absentiae in Julium Roma-
num contulisse, eo quod nimis angustum tempus præscriptum
esset.

54. R: Sed paulo ante dictum est, si qua Synodus ab Im-
peratoribus indicta esset, Episcopum Romanum literas Impe-
ratoris aliis ordine communicasse & promulgasse. De cujus
igitur cunctatione dum conqueruntur Orientales, non Autori-
tatem ejus adserunt, sed *negligentiam accusant.*

55. De Caroli Magni conciliis & aliis quæ sub Franco-
rum Regibus celebrata fuerunt scribit *Spondanus*, in Annalibus
Francorum hanc reperiri adnotatam observationem: *Auctori-
tas Ecclesiastica atq; Canonica docet, non debere absq; sententiâ
Romani Pontificis Concilia celebrari.* Ex iis intelligas, addit
Epito-

Epitomator, quotquot sub iisdem Francorum Regibus celebrata fuere eorum ordinatione Concilia, Ea non nisi assensu Romanorum Pontificum habita esse.

56. Verum cum *Spondanus* scribit, quod ista Concilia Regum illorum ordinatione celebrata fuerint, hoc ipso sententiam nostram confirmat. Cujus verò sit sive auctoris sive valoris intercalaris illa Ecclesiasticæ constitutionis vindictio, parum attinet anquirere. Canones enim Ecclesiastici Regio Axiomati non possunt præjudicare; nec omnes Canones Synodales verbo Dei conformes sunt, sicut ad oculum patet ex *Amplius* D. Lucae Osiandri, *Et nunc in axiomis*, Canonibus Apostolorum Augustæ Vind. reculis interjectâ. Quod si tamen illius sensus sit, cum consensu Episcoporum Rom. instituenda & celebranda esse generalia Concilia, hoc tanquam ab Imperatore sancitum & Synodalibus præscriptum libenter concedimus. Non enim admittit Episcopum Rom. ad communionem Axiomatis Regii de cogendo Concilio; sed ad instituti illius conscientiam & deliberationem, quod adeò non improbamus.

57. Porro cum Bellarminus videat se non posse negare, quin Imperator Concilia illa priora coegerit, nunc unam & alteram causam subnectit, *cur illa non Solus Pontifex convocavit*, quod ipse tamen factum & evictum vellet. Causatur autem tum temporis *viguisse adhuc interdictum Imperiale l. i. §. de Collegiis illicitis*; Imperatores in magnâ pace Orbis Terræ imperasse, & sumtus publicos ad Synodos suppeditasse; quin etiam Pontificem ipsis in temporalibus subjectum fuisse. *Nunc vero* addit Jesuita, *post illa tempora istæ omnes causæ mutatae sunt*. Nam nec illa Lex nunc viget, nec Imperatores in toto orbe dominantur, nec sumtibus publicis fiunt Concilia, nec sunt Gentiles, qui impedire possint, & *Pontifex, qui est caput in spiritualibus, non est subjectus in temporalibus*.

R. Bellissima Refutatio! Scilicet *Lex de illicitis Collegiis apud Pontifices non amplius viget*. Fatetur enim ipse Bellarminus coacta esse à Pontificibus Rom. quædam *Concilia seditiosa adversus ipsos sacratissimos Imperatores, unum à Gregorio III.*
con.

contra Leonem III. Alterum à Gregorio VII. contra Hein-
ricum IV. Aliud ab Innocentio IV. contra Fridericum II.
l. i. de Conc. c. X. Quod verò Imperator hodie non domina-
tur in toto orbe, illud bonam partem accepto ferendum est
machinationibus Episcoporum Rom. & proditoriis eorum
collusionibus cum invasoribus, Parricidis & Hostibus Rom.
Imperii: de *sumtibus publicis* non habet, cur conqueratur Jesui-
ta, modo numerum inerat illorum Feudorum, Bonorum ac Re-
dituum Ecclesiasticorum, quibus Pontifices & imprimis voti-
væ paupertatis Professores *socii illi Jesu*, ut vocari amant, Impe-
ratores & Alios *Cegyætas* per piarum causarum præensionem
emunxerunt. Unde sibi etiam tantam pecuniarum copiam
collegerunt, ut Statibus Imperii paria facere, & Aureorum non
Minas, sed Talenta ad apparatus bellicum erogare queant.
Itane verò immemores sunt beneficiorum Jesuitæ, ut unde ea
acceperint dissimulent aut ignorent? Mirum autem est, quo-
modo Pontifex à potestate supereminente hodie exemptus sit,
cui secundum præscriptum Apostolorum Rom. 13, 1. Petr. 2, 13.
olim subjectus fuit. Veruntamen firma est illa Bellarmini Ra-
tio: Quia post illa tempora omnes istæ causæ mutatae sunt? Non
amplius viget Lex Imperialis: negligitur S. Scriptura: Qui pa-
rere debebat, *ἀνομος* seu Exlex factus & elatus est *ἄνω πᾶντα λέγο-
μενον θεὸν ἢ σέβασμα*, ut in Templo Dei sedeat ostentans seipsum,
quasi sit Deus, 2 Thef. 2, 4. Non poterat res brevius expediri!
*Habemus itaq; fundamentum juris, in quo Pontificis Rom. dicta-
toria potestas consistit.*

IV. Quæ Personæ in Concilio quas partes habere & obire debeant?

59. *Præses Conciliorum Summus & Judex ἀποκροῦς*
κός Controversiarum Theologicarum præter omne dubium
est Deus ipse & pressè *Spiritus S.* qui dicitur judicare Mundum
loh. 16, 8. Constituere Ministerium, Act. 20, 28. & in primo Apo-
stolico Concilio N. Testamenti motam de circumcisione &
observatione Legis Controversiam ipse quamvis per Aposto-
los

los decidisse. Sic enim illi: *Visum est*, ajunt, *Spiritui S. & nobis*, Act. 15, 28.

60. Quod vero homines attinet, qui Synodis interesse debent, illi ratione ordinis sunt vel Præsides vel Adseffores, iiq; vel Politici, vel Doctores & Pastores Ecclesiae vel etiam præstantiores Laici. *Præses Politicus* est ipse *Magistratus* vel illius *Delegati*, qui ipsius vicem tuentur & illius autoritate funguntur. Hujus Præsidis munus est toti Conventui saluum conductum præstare, curare ut omnia ordine ac decenter fiant, controversias quæ Episcopis intercedunt, inprimis de officio & vitâ ipsorum, itemq; de Statu & Oeconomia Ecclesiae unâ cognoscere, Decreta Synodi suâ autoritate confirmare, & ut ab aliis observentur promulgare & executioni tradere.

61. Qua quidem in re *Constantinus M.* gloriosissimæ memoriæ Imperator omnibus Christianis Magistratibus laudatissimo exemplo præfulsit. De illo enim sic scribit Eusebius l. 1. de vitâ illius cap. XXXVII. Cum quidam inter se in diversis locis dissentirent, *διὰ τὴν κοινὸν Ἐπίσκοπον ἐκ θεῶ καθεσταμένον* tanquam communis quidam Episcopus à Deo constitutus Ministrorum Dei coegit Concilium, & in mediâ istorum frequentia ac congressu adesse, & una considerare non dedignatus est, *κοινωνὸς τῶν Ἐπισκοποκεμένων ἐγένετο, τῆ εἰρήνης τῆ θεῶ βεβούτων τοῖς πάνσι*, rerum in deliberationem vocatarum se fecit participem, easq; res, quæ ad divinam pacem spectabant omnibus pronunciavit.

62. Similiter de *Theodosio* scribit Theodoretus l. 5. Hist. Eccl. cap. VII. quod ipse Concilio Constantinopolitano interfuerit, & postquam Meletium Ecclesiae Antiochenæ Antistitem præ cæteris humaniter salutasset, reliquos etiam omnes *φιλοφρονησάμενον βεβούσασθαι ὡς τῶν ὑποκειμένων ὡς πατέρας ἤξιωσε*, clementer exceptos tanquam Patres, ut de rebus propositis deliberarent, rogarit.

63. Porro ad Concilium *Ephesinum* misit Imperator Comitem suum *Candidianum*, qui ipsius nomine Synodo præfideret & saluum conductum præstaret, quemadmodum patet ex literis *Theodosii Januarii* ad Synodum Ephesinam datis, Tom 1, Conc. c. 32, Deni-

64. Denique certum æquè & exploratum est, de Quarto Concilio Oecumenico *Chalcedonensi*, quod ei quoq; *Imperator Martianus* interfuerit & præfederit. Hoc enim *Evagrius* non solum disertè testatur, sed etiam commemorat, quomodo *Eusebius* ipsi supplicem Libellum obtulerit & causæ cognitionem ac definitionem contra *Dioscorum* ab illo postularit. l. 2. *Hist. Eccl. cap. 4.*

65. *Ecclesiasticus* autem *Præses* est aliquis *Episcoporum* vel *Doctorum* *Ecclesiæ* primariorum, qui tenax sit ejus qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, *Tit. 1, 9.* quemq; Magistratus *Christianus* vel ipsa *Synodus* dignum & idoneum iudicavit & ad illud munus elegerit & destinavit. Atq; illius partes sunt *Actiones Synodi moderari*, *Quæstiones & causas ordine proponere*, *sententias rogare*, *suffragia Patrum colligere*, *Decreta concipere*, & *toti Synodo recensenda confirmanda & promulganda proponere*, & *postmodum per Notarios in Acta referre*. Fuisse verò hanc *πρεσβείας* seu præsentia dignitatem *non localem* vel uni loco aut *Episcopatu* præcisè alligatam, sed *vagam & in Synodi vel Magistratus Christiani delectu & arbitratu positam* vicissim patet ex *Praxi & Actis priorum quatuor Conciliorum Oecumenicorum*.

66. Nam *Niceni Concilii Præsides Episcopales* fuerunt primum *Eusthatius* *Antiochenus*, & *Macarius* *Hierosolymitanus*, quorum ille velut os totius *Synodi* *Imperatori* quamprimum in medio consedisset, pro *indictâ & congregatâ Synodo* nomine communi gratias egit, quemadmodum scribit *Theodor. l. 1. Hist. Eccl. cap. 7. vid. & Nicetas l. 5. Theol. cap. 6.* Quo facto, cum ad rem accedendum esset, *Hosius Cordubensis*, tanquam *Summus Præses Ecclesiasticus Electus*, & *Imperatori* ad dextram collocatus est, *Legatis Romanis* ad sinistram illius desidentibus.

67. *Constantinopolitani Præsides Ecclesiasticus*, fatente ipso *Bellarmino* fuit *Nectarius*, in *Eadem Synodo*, postulato populi & communi consensu *Imperatoris & totius Synodi* *Episcopus Constantinopoleos* creatus, quod esset *Ἀπεικὴς τὸν τρέπον δι' ὅλης ἰαυμαζούρου*, κατὰ τὴν τὴν πραιτάωρος χειρίζων ἀρχὴν

δεξιῶν, modestus moribus, & totus admirabilis, quamvis aliàs Prætoris munus gessisset, ut refert *Socrates* l. 5. Hist. Eccl. c. 8.

68. *Ephesini* Concilii Præses fuit *Cyrillus*, quemadmodum *Bellarminus* ipse ex *Prospero* dicit, Synodum Ephesinam factam esse *Cyrilli* industriâ & *Cælestini* autoritate, quod suo modo verum est. Nam *Cælestinus* multum laborarat cum *Cyrillo* de refellendâ & damnandâ Hæresi Nestorianâ, & cum ipse ad indictam ab Imperatore Synodum proficisci non posset in testimonium Orthodoxias & *ὀρθοδόξας*, Votum suum de re jam cognitâ *Cyrillo* delegarat, nec potuit quicquam amplius ei delegare, aut suam intelligendi & judicandi facultatem communicare. *Cyrillus* vero tanquam profundus ac disertus Theologus suo merito & autoritate Imperatoris, nec non communi Episcoporum Synodali consensu primas partes in Synodo administravit.

69. *Chalcedonensis* deniq; Concilii Præses Ecclesiasticus fuit *Anatolius* Episcopus Constantinopolitanus, cui adjuncti erant *Paschasius* & *Lucentius* Romani Episcopi Legati, quemadmodum testatur *Photius* in Epist. ad Mich. *Bulgariæ* Principem. Atque hætenus de Præsidibus Conciliorum.

70. Quod cæteros Adseffores attinet quamvis Synodus ex ordinariis Doctoribus & Pastoribus Ecclesiæ consistere debeat? tamen quod nō omnes forsân æq; idonei fuerint, si delectus haberi queat, illi destinandi sunt, qui pietate, sacrarum Literarum scientiâ & Historiæ Ecclesiasticæ cognitione, usu rerum, & experienciâ propriâ, zelo item pro gloriâ Dei, & amore veritatis, nec non modestiâ & mansuetudine cæteris antecellunt. Postquam enim donum *θεοπνευσίας* in Ecclesia posteriorum tēporum cessavit facultas judicandi de fide & statu Ecclesiæ, per ordinaria Media & exercitia acquirenda est, quamobrem *Apostolus* jam tum suo tempore suos jussit dona præstantiora sectari, 1. Cor. 12. 31.

71. Requiritur autem in Synodali Judice primo post pietatem veram Theologiam, ut præ cæteris sit tenax ejus qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, quo potens sit exhortari per sanam doctrinam & contradicentes convincere, Tit. 1, 9.

1,9. Quo ipso velut ineptos rejicimus *Asinos papales*, quos B. Lutherus vocat, qui quamvis sacrarum literarum & omnis elegantioris literaturæ ignari, tamen ad ferendum de rebus fidei iudicium in Papatu adhiberi consueverunt, ad augendum numerum suffragiorum in gratiam Pontificis Rom.

72. Deinde requirimus *prudentiam*, qua despiciat ille, quid veteres & quo Consilio quam bene vel secus quove tandem successu vel eventu in simili casu decreverint & constituerint; itemque nunquid illud & quatenus in præsentis statu ad usum transferri possit. Quamvis enim nihil novi sit sub sole, Eccl. 1, 9. tamen circumstantiæ variant & totum statum quandoque mutant. Unde fit, ut quæ olim usui fuerunt & locum habuerunt hodie non semper cum fructu adhiberi vel observari queant. Sic olim cautum erat, *quo minus Episcopus viduam ducat* in Matrimonium; aut *pro alio fide jubeat* &c. aut *κοσμηνοῖς ἀρχαῖς χειροτόμησον* secularibus potestatibus usus Ecclesiam seu pastorum acquirat &c. ut videre est in *Canonibus Apost.* Can. 18. 20. 30. Sed illa moderno Ministrorum statui non possunt applicari. Necesse est igitur, ut qui de statu Ecclesiæ aliquid debet decernere, in obtutu habeat *Oeconomiam Veteris Ecclesiæ*, consilia Episcoporum & illorum rationes, eventum item & incommoda si quæ concurrerunt; Tum etiam ut Statum præsentis non solum Ecclesiæ sed etiam Reipubl. quodammodo perspectum & exploratum habeat, & consideret quid salvo utriusq; axioma de uno vel altero decerni & constitui possit; cujusmodi experientiam à viro sapiente requirit *Sinacides* cap. 39, 1.

73. Porro exigimus etiam à Synodali Judice *Φιλαλήθειαν* & *zelum pro veritate & gloria Dei*, ut ea quæ sentit vera esse *καὶ παρρησίας καὶ ἀπεροσωπολήπτως* proferat & profiteatur & è contrario rejiciat & improbet, quæ falsa & perniciose esse judicaverit sine respectu personarum. Agitur enim ibi causa Ecclesiæ imò Dei ipsius, cui magis obligati sumus quam amicis, consanguineis & necessariis nostris, juxta illud Salvatoris: Si quis venit ad me nec odit Patrem suum ac matrem &



uxorem & filios & fratres & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus, Luc. 14, 26.

74. Denique desideramus in suffragatore Synodali etiam *Modestiam* & *Mansuetudinem*, qua suorum ipsius affectuum potens, nihil agat præcipiti zelo, sed lentè procedat adversus errantes, eosque studeat veritate & charitate superare, & restaurare juxta monitum Apostoli: Si quis præoccupatus fuerit delicto aliquo, vos qui spirituales estis, καταρτίζετε instaurate talem *Spiritu mansuetudinis*, considerando quisq; seipsum, ne & tu tenteris, Gal. 6, 1.

75. Quâ occasione non possumus non notare tum *σωποληψίαν* *Johannis Antiocheni*, tum nimiam vehementiam *Cyrilli Alexandrini* Episcopi in Concilio Ephesino adversus Nestorium. Nam *Johannes* ille cum Nestorio faveret, quamvis alienus à causâ illius; & metueret ne ille propter blasphemias adversus Christum Filium Dei, damnaretur, primum cunctabatur ad Synodum venire, hac ipsa scunctatione sententiam condemnatoriam moraturus. Deinde vero cum audiret Anathema Nestorio jam dictum & promulgatum esse, ἀπήχθητο *πρὸς Κύριλλον ὡς αἴλιον τῆς γεφυρωμένης Ἰαεραχῆς, τὸ ἱερμῶς ποιῆσαι τὴν Νεστορίαν καθάρσειν*, alienior factus à Cyrillo succensuit ei, tanquam tumultus illius auctori, quod ardore quodam animi tam cito Nestorium abdicasset; quemadmodum refert *Socrates*, qui disertè etiam scribit, quod *Cyrillus* ἀκροβόλισμὸς ἕνας τῶν λόγων Νεστορίου παρεπίθεν βελόμην: καὶ γὰρ ἀπέχθως εἶχεν πρὸς αὐτὸν, præludia quædam verborum fecerit, ut Nestorium perturbaret, eo quod ei infensus esset. L. VII. Hist. Eccl. c. 33. Qui zelus si pro veritate fuit, suam quidem habet laudem, sed majorem tamen commendationem meriturus, si modestiâ & mansuetudine temperatus fuisset. Oportet enim Apostolos & omnes Christianos etiam in justo zelo meminisse, *cujus Spiritus filii sint*. Luc. 9, 55.

76. Cæterum præter Patres Synodales ad Synodum etiam Laicos & plebejos admittendos esse judicamus. Nam Laici quoque pertinent ad constitutionem Ecclesiæ, cui super Petram salutis fundatæ promissio facta est, fore ut portæ inferorum

rum adversus ipsam non prævaleant, Matth. 16, 18. Tum ex Concilio Apostolico, nec minus ex aliis Conciliis manifestum est, quod Laici etiam adhibiti fuerint, quod nec Bellarminus negat, nisi quod illis potestatem judicandi deberi inficiatur, de quo vero suo loco dicendum est. Non autem censemus promiscuam multitudinem admittendam esse, sed delectu facto illos ad Synodum destinandos, qui cognitione veritatis & λα- & πία modestiā nec non σωείας ac discretionē præ cæteris sunt commendati. Quo minus habet *Bellarminus*, quod nobis objiciat *de turbis populi*, aut metuat *de fraude* cujusquam principis promiscuam multitudinem ad conficiendum votorum pluralitatem subornaturi.

77. Ut autem omnia decenter & liberè præstari queant; præter Salvum Conductum concedenda est Patribus synodalibus *immunitas à partiali & factioso juramento & potestas tum consulendi tum judicandi* de Quæstionibus & causis de quibus agendum est. Oportet enim liberam esse conscientiam eorum qui conscientias hominum debent consulere, & de rebus ad gloriam Dei, ad Ecclesiæ ædificationem, ad fidem denique & salutem hominum spectantibus deliberare ac decernere. Qui namq; *hominibus studet placere CHRISTI Servus esse nequit*, Gal. 1, 10. Propterea judices illi nemini tam debent adstricti esse atque CHRISTO & verbo illius. Pariter vero concedenda est illis potestas consulendi, interpellandi & judicandi. Communis enim est causa, commune Privilegium, non solis Episcopis sed toti Ecclesiæ concessum de non prævalituris portis inferorum, Matth. 16, 18.

78. Tum similiter gratiæ ac σωείας spiritualis promissio toti Ecclesiæ facta est. Qua de re Apostolus ex ore Dei inquit: Dabo leges meas in mentem illorum & in corde illorum inscribam eas, & ero illis Deus. Et non docebunt quisque proximum suum & unusquisq; fratrem suum, quia *omnes cognituri sunt me ab eo qui pusillus fuerit inter eos usq; ad eum, qui magnus est inter illos*, Hebr. 8, 10. Hinc facultas etiam judicandi communis est, siquidem ο πνευματικός *spiritualis*, quales sunt omnes verè Renati, qui rationem spei suæ reddere
pos-

possunt & tenentur, *omnia dijudicat*, 1. Cor. 2, 14. Quamvis autem non omnes eundem cognitionis gradum attigerint; tamen satis est si rem à doctioribus ex Verbo Dei explicatam capiant, & suo suffragio obsignent, quemadmodum Apostolus omnes promiscuè jubet judicare ea, quæ à Prophetis proposita fuerint, 1. Cor. 14, 29. Omnibus incumbit *officium probandi Spiritus*, 1. Joh 4, 1. idque præcipuè in Actu Confessionis, qualis est & Synodalis. Quod pensi habentes ipsi *Apostoli*, qui quamvis ut viri *ἁγίων* ad decidendam Quæstionem de circumcissione, quæ in controversiam venerat, aliorum consilio & suffragio opus non habebant; tamen soli non decidebant, sed *totam Presbyterorum & reliquorum fratrum Ecclesiam ad commune Decretum adhibebant*, Act. 15, 23.

79. Quod processum attinet, qui in Concilio observari debet, ille *in ordine & distinctione Actionum Synodaliū consistit*. Ubi primum decet Præsidem toti Synodo proponere, & candidè ac sincerè explicare Statum Causæ & Controversiæ, tum examinare rationes utriusque partis, & de his omnibus rogare & colligere suffragia & sententias, primum quidem Doctorum & Pastorum, quibus ordinaria inspectio Ecclesiæ & Religionis commissa est; Deinde verò & aliorum Politicorum & Laicorum, qui Synodo intersunt & in cognitione salvificæ Doctrinæ eo usque profecerunt, ut de re jam explicatâ & disputata, quid sacris literis quam maximè consentaneum sit, judicare possint. Quamvis enim omninò statuamus Laicos quoque hujusmodi circa Quæstiones de Fide audiendos & judicium illorum attendendum esse: tamen, *præcipuas partes Ecclesiæ Doctorum & Pastorum esse censemus*, quos Apostolus possit attendere sibi & Gregi, Act. 20, 28. Quibus etiam solis possit committi expeditio lapsuum & offensionum inter Fratres, ne pudenda Patrum revelentur, & Ministerio verbi labes ignominia affricetur; *nisi scandala occurrant publica & communia, quorum emendatio sine Laicorum interpellatione non exspectanda sit*.

80. Regula secundum quam omnia oportet examinari & definiri est S. Scriptura, ad quam Spiritus S. omnes nos ad-

strin-

strinxit, tanquam ad divinum perfectum & Exclusivum Cano-
nem Fidei. Quo spectat illud Prophetæ: *Ad Legem & testimo-
nium nisi dixerint, non erit eis matutina Lux*, Ier. 9, 20. Et illud
Christi: *Scrutimini Scripturas*; illæ sunt quæ de me testantur,
Joh. 5, 39. Confer 2. Tim. 3, 16. Qua de re omni commendatio-
ne dignum est iudicium Imperatoris gloriosiss. Memoriam Con-
stantini Magni, qui Patribus Nicenis, ut in Decisione Contro-
versiarum tuto procedere possent S. Literas fidelissimè commē-
dasse perhibetur his usus verbis: *τὴν πολεμοποιὸν ἐν ἀπελάσωντες
ἐμὴν, ἐκ τῶν Θεοπιέυτων λόγων λαίβαμην, τὴν τῶν ζητημάτων λύ-
σιν*, h. e. omni seditiosâ contentione remotâ ex Literis divinitus
inspiratis sumamus Controversarum Quæstionum solutionem,
Theodor. l. 1 c. 7. Quibus probè observatis ad definitivam sentē-
tiam procedendum est, quæ tanto firmiter erit, quanto funda-
tior est in S. Scripturis. *Habemus enim firmiorem Propheticum
sermonem, cui rectè facitis attendentes*, 2. Pet. 1, 19. Non igitur
secundum pluralitatem votorum simpliciter, sed secundum
pondus illorum decernendum est. Quanquam si de Interpreta-
tione & applicatione Scripturæ dissensio sit difficilior, fatemur,
in legitimâ Synodo; & cæteris paribus ad dirimendam litem
standum esse iudicio plurium. Quo non immerito referri pot-
est instructio Christi, qua quod per unum & alterum non po-
terat expediri, *ad totam Ecclesiam* remisit, Matth. 18, 17.

71. Ex quo sequitur *Magistratum tanquam Presidem Po-
liticum à Synodo non posse excludi*. Et res manifesta est. Nam
præstare toti congregationi saluum conductum, disponere de
ordine actionum & obsequio personarum, cognoscere de sta-
tu & Oeconomîâ Ecclesiæ externâ, de gravaminibus, vitâ &
moribus Episcoporum, potestatis est Politicæ, quæ ad Magi-
stratum spectat. Propterea sicut modo ex Historiâ priorum
IV. Conciliorum Oecumenicorum demonstravimus, quoties
Concilia instituta sunt ex eo tempore, postquam Ecclesia Chri-
stianum adeoque proprium Magistratum nacta est, Impera-
tores vel ipsi vel per Legatos suos illis interfuerunt & præse-
derunt.

82. Impudens igitur esse oportet *Bellarmini* pronunciatum, quo adserit, *praesidentiam in Conciliis Generalibus non ad Imperatorem aut Magistratum politicum, sed proprie ad Pontificem Rom. pertinere.* Quamvis autem utcumq; tolerabile sit, ut Principes seculares Concilio intersint & sedeant ante alios Episcopos: tamen nullo modo convenire, ut ante ipsum Summum Pontificem. l. i. de Cone. cap. XIX. Quibus verbis partim quantum in se est, elevat Autoritatem priorum quatuor Oecumenicorum Conciliorum, quorum Praesides, fuere Christiani Imperatores, vel eorum Delegati, sicut in praecedentibus evictum est; partim prodit summam & impudentissimam Antichristianam *superbiam Pontificis Romani*, qua se ipse extollit non solum super ceteros Episcopos, sed etiam super omnes Principes Politicos, adeoque super ipsum Imperatorem Romanum, de quo tamen Spiritus S. constituit, quod potestati ejus omnis Anima subjecta esse debeat, Rom. 13, 1. Nos sicut vicem illorum Principum, qui jugo illo Antichristi adhuc implicati sunt, ex animo dolemus: ita Pontificem Rom. pro ipso Antichristo habemus, nec dignum judicamus, qui inter Janitores locum habeat in domo Dei, nedum ut Doctoribus Ecclesiae Evangelicis praesideat aut Principibus Christianis praeratur.

83. Nec moramur nugas & offucias *Bellarmini*, quibus fictitium illum primatum Pontificis sui adserere conatur. Nam quod primum attinet illud Christi Salvatoris *ἡ ἀρχή μου* Petro converso ingeminatum: *Pasce oves meas*, Joh. 21, 16. Jesuita concludit, Pastoris esse praesidere ovibus, non ovium Pastoribus. Cum igitur Pontifex Rom. sit unus ille Summus Pastor, Caeteri omnes Oviculae, consequens esse, ut Soli illi tribuatur Axioma praesidendi. Hoc nihil ad rem facit. Nos enim praeter superius dicta respondemus, notione pascendi non significari praesidentiam papalem, sed officium praedicandi Evangelium, & erudiendi homines de fide Christi & salute; Sicut Deus ipse *Pasturam Ecclesiasticam* explicat, quando Ecclesiae promittit Pastores, qui ipsam *pascant scientia & doctrina*, Jer. 3, 15. quod commune est aliis etiam Ecclesiae Presbyteris, 1. Petr. 5, 2. *Negamus* igitur hoc dicto significari Primatum
papa.

papalem.: *Negamus* uni soli Episcopo competere, quod Petro Apostolo commissum est: *negamus* Pontificem esse Petri successorem in officio & doctrinâ. Dum igitur hoc Præsidis Axioma sibi arrogat, *pro impostore & invasore* potius eum habemus, quam pro Summo Pastore.

84. Ejusdem farinae est, quod secundo loco affert de *Titulis & inscriptionibus Literarum Episcopaliū*, quibus Romanus quidem Episcopus, alios etiam in Synodis congregatos consueverit appellare Filios; Illi vero Romanum Episcopum BEATISS. DOMINUM, PATREM & PATREM PATRUM &c. Hinc enim nihil aliud colligi potest, quam ex Unâ parte *ceterorum Episcoporum modestia & reverentia*, qua Romanum Episcopum intuitu ætatis, ordinis, & meritorum juxta Doctrinam Apostolicam prævenire voluerint, Rom. 12, 10. ex Alterâ vero parte sive ipsorum *Pontificum* sive degenerum successorum *ambitio*, qua Fratrum modestiâ abusi, per Titulos illos quasi per Cuniculos superioritatis alicujus in alios præscriptionem quaesierint. Deinde meminerit Jesuita Episcopos Synodales, quamvis Filiorum titulo compellatos, Episcopum tamen Rom. non semper Patrem, sed contestandæ æqualitatis & fraternitatis gratia etiam *ἀδελφὸν καὶ συναϊτῆργόν* Fratrem & Commistrum relalutasse, quemadmodum Damaso factum est à Patribus Concilii Constantinopolitani. Quin etiam cum Patres Synodales in Concilio Carthagenensi fraudem & arrogantiam Romani Episcopi, Primatum per falsationem Canonum Nicenorum extorquere præsumptis deprehendissent, abominati sunt eam impudentiam, & per Rescriptum, eum non solum falsi Testimonii arguerunt, sed etiam in gratiam totius Ecclesiæ monuerunt, ne committeret *ἵνα τὸν καπνώδη τύφον & κόσμη*, ut illum fumosum mundi fastum (sic vocabant Primatum papalem) videretur in Ecclesiam introducere, quemadmodum patet ex Epistolâ Synodali.

85. Tertio quod addit de Concilio Apostolorum Act. 15. quasi Apostolus *Petrus* ejus *Præses* fuerit, utpote *qui primus surrexerit, primus locutus sit, & questionem definierit, cujus sententiam etiam Teste Hieronymo omnes secuti sint*; Resp.

hoc inde non sequi. Sanè Petrus primus surrexit, & primus interlocutus est, non quod Præses esset, sed quia cæteris erat ætate provecior, & ad respondendum singulari zelo & majori quam alii *παρρησία* præditus. Tum proposuit primus non sententiam definitivam, à quâ consultationes non incipiuntur, sed *suffragium* quod cum Evangelio consentaneum fuerit, omnes secuti sunt, non quod vox Præsidis esset, sed quia sententia vera esset, & statui Ecclesiæ conveniret. Patet hoc ex interpellatione Jacobi, qui hac de re ad totam Ecclesiam ita disserabat: *Audite me Viri Fratres!* Simeon *ἔγνωστο* narravit, quemadmodum Deus primum visitaverit, ut sumeret ex Gentibus populum in Nomine suo; Et huic consonant verba Prophetarum &c. v. 14. Mox postquam idem suam sententiam adjecisset, v. 19. *Διὸ ἐγὼ κρίνω*, Propterea Ego judico &c. meminit B. Lucas commune Decretum à totâ Ecclesiâ factum esse, quando subjicit: *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum totâ Ecclesia* &c. v. 22. Unde Lyranus & Dionysius Carthusianus in h. l. putant Apostolum Jacobum hujus Concilii Præsidem fuisse, quod hujus Loci Episcopus esset: Verum cum eo in loco non Præsidis mentio fiat sed communis Decreti, eam sententiam suo loco relinquimus.

86. Quod vero de Politico Magistratu nemo huic Concilio præfuit, hoc Statui illius temporis adscribendum est, quo Ecclesia suo proprio Magistratu adhuc destituta erat; illius præsidium & patrocinium omnino lubens admissura, si eo frui potuisset. Cum autem Magistratus ethnicus Ecclesiæ adeo infensus & iniquus esset, ut ne de externis quidem rebus æquum judicium piis ab illo exspectandum esset, ideo illi mandato Dei obsecuti non solum inconsulto Magistratu conventus Ecclesiasticos celebrarunt, sed Apostoli etiam fidelibus potestatem concessam esse docuerunt, præterito infideli Magistratu, inter sese de intestinis injuriis circa *τῶν ἑωτῆρα* ea quæ ad rem familiarem spectant, judicia constituendi & exercendi, 1. Cor. 6, 1.

87. Unde quamvis Episcopi Papales occasionem arripuerint judicium causarum secularium sibi vendicandi: tamen distinguendum est inter diversa tempora & diversos status

tus Ecclesiæ. Quæ enim propriè ad Magistratum spectantia Ecclesia licitè potuit sive intermittere, sive facere, donec proprio Magistratu destituta & odio gentilium obnoxia fuit: ea non amplius potest ita intermittere aut facere, postquam suo proprio Magistratu constituta, & in libertatem adserta est. Quo minus nunc liceret præterito vel invito Magistratu frequentes Episcoporum congressus instituire & celebrare. Quæ porro Bellarminus excipit ad praxin Veteris Ecclesiæ de quatuor prioribus Conciliis Oecumenicis, futilia sunt & ex iis, quæ paulo ante dicta sunt, facile possunt expediri.

88. Deinde potest etiam hinc intelligi, quid olim Imperator Rom. & Status Imperii, in primis vero B. Lutherus intellexerint per *Concilium liberum & Christianum*, quod tam instanter arserunt & postularunt, sed impetrare hæcenus non potuerunt. *Liberum* enim dixerunt, quod immune esset à fraudibus & ab impiis partialibus juramentis, quibus Pontifex suos Clientes, Episcopos & Notarios, quos ad Concilium vocabat, obstrinxerat: *Christianum* vero in quo de rebus Christiano homine dignis & ad fidem ac salutem ipsius pertinentibus ageretur: *Germanicum* verò quod in finibus Germaniæ celebretur, ubi tutior esset Salvus Conductus, & minus metuendum ab injuriis aliorum. Quas condiciones etiam suo tempore acceptavit, quamvis pro se suo sensu intellectas Paulus III. eas verò latius *diductas* explicavit Bellarminus sed iniquas esse judicavit; Quæ de re nunc breviter videndum est.

89. Sic autem ille l. i. de Conc. cap. 21. *Primo requirunt, ut antequam fiat Synodus irritentur omnia Acta Concilii Tridentini. Secundo, ut Concilium fiat in Germania. Est enim Canon Ecclesiasticus apud Cyprianum, l. i. Epist. 3. ut illic lites judicentur ubi exorta sunt. Tertio, ut Pontifex Rom. non indicat Concilium. Quarto, ut ex solâ Scripturâ divinâ sententiæ ferantur, non ex Traditionibus vel Canonibus. Quinto, ut Decisio non fiat penes suffragiorum pluralitatem, sed ut juxta Normam verbi divini pronuncietur. Sexto, ut Romanus Pontifex absolvat omnes Prelatos à juramento fidelitatis, quo ei obstricti sunt: Septimo, ut Theologi Principum ac Statuum Confessionis Aug. non*

minus quam Episcopi in Concilio sententias ac voces decisivas proferre permittantur. Octavo, ut detur *Salvus Conductus* ab Imperatore non solum personis, sed etiam ipsi causæ principali. Nunc addit suam *Objectionem* quam operæ pretium est recensere. Prima, inquit, conditio est iniqua. Quia nihil debet irritum haberi, nisi legitimo iudicio damnatum. Concilium autem Tridentinum est quidem accusatum ab Hæreticis, sed non damnatum in ullo legitimo iudicio. Si vero damnandum esset, deberet in aliâ Synodo examinari & iudicari, non autem ante Synodi iudicium irritari.

90. R. Concilium Tridentinum non fuit legitimum, sed Schismaticum & Hæreticum: sicut alibi ab aliis evictum & demonstratum est. Tum quia *Protestationi Statuum Imperii* per illud satisfactum non est, manet illa in suo vigore, & habet validum præiudicium adversus illud. Quod Jesuita addit, non posse Tridentinum damnari, nisi in aliâ Synodo falsissimum est; Ut taceam illud dudum ab universâ Evangelicâ Ecclesiâ damnatum & exauctoratum esse, quemadmodum publica scripta Doctorum Ecclesiæ per universum orbem Evangelici Nominis testantur.

91. Secunda conditio, de Loco, Cardinali similiter censetur iniqua esse. Ut enim, inquit, Lutherani iure sibi videntur petere, ut Concilium non fiat in Italiâ, ubi prævalent Catholici: Ita Catholici iure postulare possunt, ut non fiat in Germaniâ, ubi prævalent Lutherani. Et sanè non poterat Locus eligi melior atque aptior, quam Tridentum, quod est in finibus Germaniæ & Italiæ etiamsi ethnici hominis iudicio quæstio illa relinqueretur.

92. R. Evangelicos Locum Concilio in Germaniâ definiisse suæ utilitatis gratia & in præiudicium Romanensium eò, quod hic Lutherani prævaleant, falsum est. Postularunt enim illud Evangelici partim propter maiorem securitatem & libertatem, quod scirent Italos plerosque Papæ subjectos & horribili ac miserabili iuramento obstrictos esse; nec intermissurum esse Papam quicquam eorum, quibus libertatem Germano-

manorum reprimere & opprimere possit, ut tucatur suam quamvis pessimam causam. Tum publico decreto Imperiali de anno 1524. conclusum & sancitum erat. Qua certe in re oportuisset Papam Imperatori sive morem gerere, sive tantisper gratificari. Non igitur verum est Romanenses ob æqualitatem juris, Concilium Germanicum declinasse, cum nulla de Germanis; certa vero de Italis & Romanensibus fraudis ac præsumptio fuerit ex tam variis machinationibus Pontificis Rom. ad eludendum postulata & consilia Imperatoris Rom. & Statuum Protestantium.

93. Veram autem causam, quamobrem Pontifices Roman. noluerint in Germaniam venire, explicat B. Lutherus Tom. 8. Jen. his verbis: Die Historien sagen von dem einem Pappst Johanne/ da er sich in Deuschland begeben hatte / (aufs Concilium zu Costniz) da fuhr man zu / und examiniret sein Leben und Regiment: Vorhin thurste niemand wider ihn/ als einen Pappst mucken/ und fand sich / daß bey 40. Artickel über ihn beweiset worden / alle des Todes würdig. Da entran er heimlich / und wolte wieder gen Rom. Aber Keiser Sigismund ergreif ihn unterwegs / und ward dem Pfalzgrafen befohlen. Als man ihm nun die Artickel fürhielt / antwortet er auf einen ieglichen also: Ach ich habe viel ein ärgers gethan! Es verwundert solche Antwort die Gesandten / weil unter andern Artickeln stund/ Er hette seinen Vater erwürget / Zauberey/ Simoney und viel schendlicher Laster getrieben; Wie künfte er doch ärgers gethan haben? Gab er diese Antwort / das ärgrste were / daß er gethan hette/ Er hette sich lassen bereden / von Rom über das Welsche Gebirge in Deuschland zukommen. Hiermit meinte er/ wo er zu Rom blieben were / und das Pappstthumb behalten / wolte er wohl solcher Anflage frey / und der allerheiligste Vater Pappst blie-

blieben seyn/ wenn er noch tausendmahl mehr übels gethan
hette. Hieraus sind die Päbste klug worden / und hüten
sich aufs höchste/ daß sie ja nicht solche grosse Thorheit und
Sünde begehen / und über das Gebirge sich in Deutsch-
land begeben. Hactenus B. Lutherus, f. 210.

94. Nunc *Tertiam* quoq; *conditionem*, iniquitatis accu-
sat Bellarminus & contendit Pontificem non posse privari suo
jure indicendi Concilia & illis præsidendi, eo quod ipse jam
per annos M. D. in illius possessione fuerit, tum quod in Legi-
timo Concilio nondum evictum sit, eum non esse Summum
Pontificem. Tum denique quod etiam in Concilio *judicari*
nequeat, nisi ipse velit ac consentiat, quemadmodum observa-
tum sit in causâ *Marcellini & Sixti III.* quod probat Testimo-
nio Nicolai I. in Epist. ad Michalem.

95. R. Cujus sit jus cogendi Concilium eique præside-
di in superioribus dictum & diductum adeoque demonstratum
est, illud non pertinere ad Pontificem Rom. Quod autem Ra-
tiones Jesuitæ attinet, ad primam de Præscriptione possessio-
nis, respondemus Pontificem esse Possessorem malæ fidei, qui
partim fraude partim suppetiis *Phocæ* perduellis ac Parricidæ
primatum occupavit. Quod addit, ei Pontificatum in nullo
legitimo Concilio abjudicatum esse, partim invalidum, par-
tim falsum est. *Invalidum*, quia id potuit fieri absque Concilio
à singulis Testibus veritatis & factum est *μεγ. Φυλακλικῶς à Chri-*
sto, quando Apostolis de affectato primatu interdixit, Luc. 22,
25. à *S. Paulo*, qui Apostolis & aliis Ministrorum Ecclesiæ Or-
dinibus unicum Caput Christum; *Θεωῖ Ἰρωπον* datum esse adse-
ruit, Eph. 4. 15.

96. Falsum vero etiam est, quod illud in nullo Legiti-
mo Concilio factum sit. Factum est in *Niceno I.* in quo Patri-
archarum omnium æqualitas agnita & confirmata fuit; qua
de re hic extat Canon: *Τὰ ἀρχαῖα ἔση κρατεῖται ἐν Αἰγύ-
πτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πεντάπολει, ὡς τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκο-
πον πάντων τῶν ἐχὲν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ ἐν τῇ πρώτῃ Ἐπι-
σκόπῳ ἔτο σιωπηρῶς ὄσι. Ὁμοίως, δὲ καὶ κτ' τῶν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν*

ἐν ταῖς ἀλλοδαύταις ἐπαρχείαις τῆς πρεσβείας σὺν ταῖς ἐκκλησίαις.
καθότι δὲ προσηλόν ἐκεῖνο, ὅτι εἰς χάρις χάριτος τῆς μετρο-
πολίτης γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τρίτον ἢ μεγάλη σύνοδος ἴσως
σε μὴ δεῖν ἐπίσκοπον. h. e. Vetus illa consuetudo servetur, qua
in Ægypto, Libyâ & Pentapoli fuit, ut Alexandrinus Episco-
pus super hæc omnia excellentiam habeat; quoniam & Roma-
no Episcopo hæc consuetudo est. Similiter autem & apud An-
tiocheam & in cæteris Provinciis dignitas Ecclesiis conserve-
tur. Illud autem omnino manifestum est, quod si quis sine
consensu Metropolitanæ Episcopus fiat, Concilium Magnum
decernat, Eum non debere Episcopum esse. Vicissim in præ-
cedentibus allegavimus *judicium Concilii Carthaginensis* de
quæsito primatu Oeconomico Episcopi Romani. Illum enim
Patres Synodales execrabantur, tanquam τύφον καπνώδη τῆς
κόσμου seu fumosum fastum hujus seculi, sicut est in Epistolâ
Synodali ad Celestinum Romanum. Unde patet primatum
illum Oecumenicum Pontificis Rom. in Conciliis damnatum
esse, cum adhuc in utero gestaretur.

97. Opportuno vero monet Jesuita, in arbitrio Pontifi-
cis esse, judicari vel non judicari; *Papam esse Judicem & Reum.*
Quis enim credat unquam tempus fore, quo Papa velit judicari?
Quod vero Cardinalis meminit, Papam esse judicem & Reum,
ab ipso Spiritu S. notatum deprehendimus, 2. Thess, 2, 3-8. Ubi
Antichristus describitur, quod quamvis sit αἰθροπὸς τῆς ἀ-
μαρτίας adeoque nequissimus nequam; velit tamen esse ἀνομὸς
seu Exlex, nullius hominis judicio subjectus; Quod certè nihil
aliud est, quam *esse judicem pariter ac Reum.*

98. Porro *Quartam* etiam *conditionem de judicando se-
cundum solam Scripturam* sacram iniquam esse pronunciat Bel-
larminus, eo quod non debeant semel definita in dubium ite-
rum revocari, juxta Legem Martiani Imperatoris l. nemo. l.
de summâ Trinitate. Jam vero constare, quod in VII. Synodo
generali definitum sit, Traditiones non scriptas recipiendas
esse.

99. R. Quicquid contra exclusivam scripturæ canoni-
cæ auctoritatem unquam definitum est, nos pro illegitimè de-
finito

G

FINITO

· finito & sacrilego decreto habemus; cujusmodi decreta ne
Martianus ipse rata habuerit. Autoritas enim conciliorum,
seposita scripturâ, humana est, ac propterea Axiomati S. Lite-
rarum nihil potest præjudicare. Deprehendimus autem
hic iterum petulantiam dicam an Impudentiam Antichristia-
næ Synagogæ, quæ non obstante divinâ Institutione & autoritate
aliud tamen auder Ecclesiæ præscribere & obtrudere.

100. Sed nec ipsi Pontifices ijs, quæ semel ab Anteces-
soribus suis definita sunt, semper acquiescunt. Sic *Formo-
sus* Episcopus Corduensis damnatus est à Johanne VIII. in con-
cilio Pontigonensi, quod in Gallijs celebratum est, anno Do-
mini 876. Idem verò restitutus est à Marino illius successore,
quamvis jurasset, se in perpetuum Laicâ communionem conten-
tum permanfurum. Sic *Concilium Romanum* sub Stephano
VII. irritavit omnia *Acta Formosi* Papæ Prædecessoris ipsius quin
etiam Stephanus VII. Formosi cadaver sepulcro erutum in Ti-
berim projecit, quemadmodum ex Baronio refert *Spondanus*
ad annum Christi 897. *Concilium vero Ravennense* sub Johanne
IX. irritavit *Acta concilij sub Stephano* & approbavit *acta Formosi*,
quemadmodum Bellarminns ipse scribit ex Sigeberto, Pal-
merio & Platina. Nec causam justificat, quod Jesuita exci-
pit *Stephanum judicasse minus informatum*, *Johannem vero re
melius exploratâ*. Manet enim hoc, quod ipsi Pontifices ijs quæ
semel definita sunt per Concilia, non semper acquiescant;
quacunq; de causâ illud fiat. Quod si autem licet revoca-
re illa, quæ perperam vel impiè definita sunt, nihil impedit,
revocari illa etiam quæ in præjudicium S. Scripturæ & Evange-
licæ veritatis statuta sunt. Quibus datis actutum appare-
bit Romanorum Pontificum ἀσφάλεια & divina, si Sanctis
defunctis placet, certitudo.

101. Porro nec quinta conditio, qua cautum dicit volu-
isse protestantes, quo minus concludatur secundum plurali-
tatem votorum, sed juxta normam verbi divini, est ad Palatum
Jesuitæ. Dicit enim *ita tolli Formam conciliorum, nec posse per-
veniri ad finem controversiarum, nisi tunc detur majori parti suffra-
giorum*. Cum enim utraq; pars proferat Scripturarum Testi-
monia

monia, non posse cognosci sententiam concilij, nisi collectis
sententijs plurium sententia prævaleat.

102. R. Distinguendum est inter *vota Scripturis munita*
& *inter vota assentativa*, Pluralitatem votorum in Scripturis
fundatorum non rejicimus: Rejicimus autem numerum vo-
torum assentativorum, quorum copiam & abundantiam ut
in Tridentino haberet Pontifex, illuc ablegavit quam plures
Episcopos Titulares, qui numerum augerent, quamvis scri-
pturas sacras nec intelligerent nec curarent, nec officii-
um Ecclesiasticum sustinerent. Quod si autem contingat
dissentire suffragatores in allegatione & Explicatione Scri-
pturarum, dispiciendum est, utra pars media & instrumenta
Legitimæ interpretationis rectius & decentius usurparit.
Oportet enim Spiritus Prophetarum prophetis subjici, I. Cor. 14.32.

103. De *Sextâ conditione*, qua protestantes voluerint
relaxari Episcopis Juramenta papalia, censet Cardinalis, quod &
iniqua sit & impertinens. *Iniqua* quidem, quia inferiores
non debeant absolvi ab obedientiâ Magistratus, nisi ille legi-
timè deponatur. *Impertinens* vero quia illud Juramentum
non tollat libertatem Episcoporum, quæ in concilijs necessaria
est. Jurare enim se fore obedientes summo Pontifici, *scilicet do-
nec Pontifex est*, & dum jubet ea quæ secundum DEUM & Sa-
cros canones jubere potest: non jurare, se non dicturos quod
sentiunt, aut deposituros Pontificem si eum Hæreticum esse
convincant.

104. R. distingv. Inter *Juramenta legitima & illegitima*.
Juramenta Episcoporum & clientum papalium illegitima sunt
quia Papa primatum potestatis in Episcopos & Ecclesias non
possidet bono titulo sed malâ fide. Tum illa juramenta sunt *ab-
soluta*, & adstringunt clientes ad servilem prorsus obedientiam
in omnibus, Papæ personam, curiam & universam Monarchi-
am attinentibus, adeoq; tollunt omnem libertatem quæ in
concilijs necessaria est, ut omnia prorsus falsa esse oporteat,
quæ Bellarminus in contrarium affert.

105. Nihil autem verum esse quod diximus, patet ex
Formulis juramentorum Papalium, quibus Pontifex suos cli-
entes



entes sibi solet devincire, quarum tres annotavit B. Lutherus
Tom. IV. Jen. ex quibus Tertia sic habet: *In Dei Nomine, Amen.*
Ego N. electus N. Episcopus ab hac hora inantea fidelis ero & obe-
diens, beato Petro sanctoq; Apostolica Romana Ecclesia, & domino
nostro, Domino Hadriano Papa Sexto, suisq; successoribus Canonice
intrañtibus. Non ero inconsilio, aut consensu, vel facto, ut vitam
perdant, aut membrum, seu capiantur, aut in eos violenter manus
quomodolibet ingerantur, vel injuria aliqua inferantur, quovis
questo colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt, per se, aut
nuncios, seu literas, ad eorum damnum, me sciente nemini pandam.
PAPATUM Romanum & regalia Sancti Petri, adjutor eis ero ad
retinendum & defendendum contra omnem hominem. Legatum
Apostolicae sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis
necessitatibus adjuvabo. Jura honores, privilegia & auctoritatem
Romanae Ecclesiae Domini nostri Papae, & successorum praedictorum
conservare, defendere, augere, & promovere curabo. Nec ero in
consilio, in facto, seu intractatu, in quibus contra ipsum dominum
nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel praeju-
dicialia personarum, Juris, honoris, status, & potestatis eorum ma-
chinentur, & si alia à quibusdam tractari novero, vel procurari, im-
pediam hoc pro posse, & quantocius poterò, commode significabo ei-
dem domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam possit per-
venire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sen-
tentias dispensationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viri-
bus observabo, & faciam ab aliis observari. Hereticos, schisma-
ticos, & rebelles domino nostro, vel successoribus praedictis, pro posse
persequar & impugnabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi prae-
peditus fuerò canonice praepeditone. Apostolorum limina, Roma-
na curia existente citra, singulis annis, ultra vero montes singulis tri-
ennijs visitabo, aut per me aut per meum nuncium, nisi Apostolica
absolvat licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes,
non vendam, neq; donabo neq; impignorabo, neq; de novo in feudabo,
vel aliquo modo abalienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae
meae, inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet & haec
Sancta Dei Evangelia. Consideret igitur Christianus Lector,
verba sunt B. Lutheri, quid boni ex concilio Papistico speran-
dum

dum sit, in quo tales Doctores disputabunt, tales Notarij Acta publica conficient, tales Episcopi & Cardinales sententias decisivas dicent! Haecenus B. Theander.

106. *Septimam conditionem*, qua status Imperij postularant, ut suis Theologis etiam perinde ac episcopis concederentur *suffragia non solum consultiva, sed etiam decisiva*, dicit Jesuita, partim repugnare quintae de rejecta pluralitate votorum; partim esse contra formam omnium conciliorum. Sin per vocem decisivam intelligatur aliquod Testimonium Scripturae, quin illud in medium afferre liceat, nunquam esse interdictum aut denegatum.

107. *De pluralitate votorum*, quatenus illa admittenda vel rejicienda sit ad quintam dictum est. De Formâ seu processu concilij paulo ante vidimus, quod potestas definiendi nemini Synodali deneganda, sed omnibus communiter concedenda sit, in primis illis, quibus ex officio & mandato Dei pariter & Magistratus incumbit, tum formam *ὀρθρινόντων λόγων*, tum *εὐταξίαν* Ecclesiae custodire & procurare, & e contrario scandala atq; abusus tollere. Quod protestantium postulatum eo æquius erat, quo certius noverant illi de omnibus abusibus & gravaminibus, quibus Ecclesia oppressa & perturbata erat, à juratis Papæ Mancipijs ne minimum apicem remissum aut abrogatum iri. Postulabant igitur Liberum & Christianum concilium.

107. *Ultimam conditionem de salvo conductu* quantum ad personas admittit: quantum ad ipsam causam, ineptam & ridiculam esse pronunciat Jesuita. Perinde enim esse putat, ac si velint Episcopi totius orbis Christiani sumtus facere, & labores summos exantlare, sed postea sine controversiarum diremptione, quasi re infectâ rursus ab invicem discedere.

109. *De Salvo Conductu personarum*, quid credendum aut fidendum sit Clero papali; docet *Johannis Husi* exemplum, quem Patres Constantienses contra datam Imperatoriam fidem detinuerunt, & flammis adjudicarunt. Nec credibile est Jesuitas concessuros esse ut in delictum veniat Regula illa curiae Rom. Practica, *de non servandâ Hæreticis fide*; vel bene-

ficiam Sancta Equivocationis. Commendamus autem non immerito Constantiam & fidelitatem Imperatoris Caroli V. gloriosiss. memoriæ, qua Luthero datam fidem in Comitibus Wormatiensibus servavit, nequicquam aliud optantibus ipsius inimicis.

110. Quod *Salvum Conductum cause* attinet postularunt Protestantes Imperii Status moderatam suspensionem sententiæ definitivæ, si contingat nostram causam pluralitate suffragiorum Romanensium prægavari, ne illa præcipiti & Pontificibus usitato anathemate condemnetur. Satius autem fuerat omnes Episcopos re infectâ discedere, quam in gratiam Pontificis Romani, & in præjudicium Ecclesiæ Veritatem Evangelicam prodere eique anathema dicere. Nunc quia amorem veritatis non receperunt in hoc ut salvi fierent, misit eis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio, 2. Thess. 2, 10. Nos pro solutione captivitatis Babylonicæ & liberatione nostri Deo gratias agimus immortales, & dicimus cum filiis captivitatis: *Magnificavit Dominus facere nobiscum, propterea sumus latantes, Psal. 126, 3.*

V. *Qua de re agendum in Conciliis.*

111. Bellarminus quidem sex puncta affert, quamobrem cogenda, & celebranda sint Concilia, l. 1. cap. IX. Verum quæ propriè huc spectant ad duo summa capita possunt revocari: Cætera sunt ab hoc actu Ecclesiastico aliena. Primum caput complectitur ea, quæ ad doctrinam pertinent, ubi veritas cœlestis ex Scripturis adserenda, & è contrario Hæresis & Heterodoxia refellenda est. Hoc enim Episcopo cuius singulariter commendatum voluit Apostolus, Tit. 1, 9. Alterum complectitur ea quæ ad Oeconomiam Ecclesiæ, ad vitam & ad mores spectant, ut omnia fiant ordine, & ut honestas pariter ac benevolentia inter Ministros Ecclesiæ & omnes Christianos conservetur.

112. Hoc

112. Hoc pens habuerunt Apostoli in primo Concilio Hierosolymitano. Cum enim à quibusdam conversis Pharisæis, Profelytis ex gentilitate lis mota esset, de necessitate circumcisionis & observatione Legis Mosaicæ, convenerunt Apostoli dispicere de eo negocio, & re ultro citroque disputatâ, & cum Presbyteris & aliis Fratribus communicatâ decreverunt, primum de doctrinâ, jugum Legis Mosaicæ Christianis non esse imponendû, tum quia illud sit ἀβάσμητον & importabile, tum quia Salus per gratiam Christi credentibus eveniat, quemadmodum constat ex Fide Patrum & doctrinâ Evangelii. Cum autem animadverterent Judæos Legi adsuetos, & à teneris unguiculis innutritos, Moribus gentilium offendi, propterea ut huic scandalo obviam irent & libertatem Gentilium charitate condirent & ad ædificationem infirmorum attemperarent, cautelas nonnullas practicas addiderunt, de Idolothytis, de sanguine & suffocato, de scortatione, Act. 15, 10-28.

113. Idem observare licet in Concilio Oecumenico Nicensi primo, ubi postquam Articulus de verâ Deitate Christi & *ὁμοουσία* illius cum Deo Patre & Spiritu S. contra blasphemias Arrii adserta esset, actum est de æqualibus Privilegiis, de Electione, de demigratione, de Conjugio & Cælibatu Episcoporum: De Synodis Diæcesanis & Causis illuc spectantibus; de abdicatione & repetitione Militiæ: de communicatione Lapsorum &c. quemadmodum videre est in Canonibus illius Concilii.

114. Similiter in Constantinopolitano Patres Synodales primum adseruerunt Articulum de Deitate Spiritus Sancti, quem Macedonius Episcopus Constantinopolitanus dixerat, non esse verum Deum, sed creaturam & virtutem Dei, qua ipse corda hominum moveat, illuminet, consoletur. Deinde deposuerunt schismaticos & Nectarium fecerunt Patriarcham Constantinopoleos; Denique Decreta fecerunt de Ordine Episcoporum & Patriarcharum, de Remotione indignorum, de iudicio causarum Episcopaliû, de Ritu recipiendi Hæreticos.



115. In Ephesino Concilio actum est primo contra Nestorium, de Idiomatum in personâ Christi Θεανθρώπων communicatione, quam quod Nestorius negasset, negando Mariam esse Θεοτόκον, judicatus est solvere personam & duos Christos constituere, quamvis alias illum & Deum & Hominem esse fateretur. Deinde vero facta sunt Decreta de exau-
ctoratione factiosorum & restitutione Orthodoxorum Episcoporum, de distinctione Diœceseon & cavenda alienæ invasione, de Eusthatio deniq; ad communionem Episcopatus re-
admittendo.

116. Denique in Chalcedonensi Concilio actum est de errore Eutychetis Archimandritæ, qui contendebat in Christo post unionem non esse, nisi unicam divinam Naturam. Hanc enim suæ sententiæ Confessionem ipse in Synodo Provinciali Constantinop. edidit his verbis: *Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεννηθῆναι τὸν κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἐνώσεως: μὴ δὲ τῶ ἐνωσιν μιᾶν φύσιν ὁμολογῶ.* Confiteor ex duabus Naturis genitum esse Dominum nostrum ante unionem! post unionem vero confiteor unicam naturam, Evagrius l. i. c. IX. Patres autem Synodales adseruerunt Christum ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαίρετως ἀχωρίτως in duabus Naturis inconfuse inconvertibiliter indivulse & insepregabiliter constare. Deinde constitutum est de subjectione Monachorum, de Mendicis, de Conjugio Lectorum & Cantorum, de cælibatu & Matrimonio Diaconissarum & Monialium, de conjurationibus Monachorum, de Monasteriorum Conservatione &c. de Raptu Mulierum sicut est in Canonibus Synodicis. Unde manifestum evadit in Conciliis olim actum esse de rebus Ecclesiasticis quæ ad doctrinæ sinceritatem, & ad disciplinæ ac morum *Ὀταξίαν* spectant.

117. Quamvis igitur otiosum fuerit de Schismate dum plurimumve Pontificum de Primatu inter se contendentium in Conciliis agere, quod tamen inter præcipua capita Synodalia recenset Bell. l. i. c. 9. cum Primatus ille perinde ac idolum nihil sit in mundo: tamen postquam Pontifices Romani ejusmodi *βδέλυγμα* in Ecclesiam invexerunt, operæ pretium fuerit de illo

illo cum aliis gravaminibus expurgando in Concilio consilia conferre. Nec peccarunt Synodici Constantienses, quod Papam unum & alterum deposuerunt; satius de totâ Ecclesiâ meritari, si totum illum *καπνώθη τὸ φῶς τῆς κόσμου* extinxissent & sustulissent.

118. Quod vero Cardinalis inter cætera Concilio etiam subjicit deliberationes politicas de reprimendo communi Ecclesiæ Hoste, quo titulo complectitur non solum Saracenos, sed etiam Imperatores quosdam Romanos, hoc partim alienum est ab Episcoporum officio, partim prorsus seditiosum. Alienum est, quoniam Episcopi vocati sunt ad administrandum Regnum Christi, quod non est de hoc Mndo, Joh. 18, 36. nec armis utitur carnalibus, sed spiritualibus, 2. Cor. 10, 4. Regum autem secularium est de bello consilia agitare, Luc. 14, 31. & cap. 22, 25. Seditiosum vero est, quia tendit adversus Magistratum, cui tanquam potestati divinitus constitutæ oportebat morem gerere omnem animam, Rom. 13, 1. Quod igitur dum Pontifices non solum machinati sunt olim adversus Leonem III. Henricum IV. Fridericum II. & alios complures Imperatores gloriosissimæ memoriæ, sed etiam hodie publicè profitentur, eò ipso se extollunt supra omnem qui dicitur Deus & super ipsum *σεβασμα* Sacratissimi Imperatoris, digni quibus Titulus Antichristi non invideatur.

119. Sed & alia in Conciliis præcipuè posteriorum seculorum tractata sunt satis *λιπαρὰ* & frivola de vestitu Religiosorum, de Coronis, de Cingulis, de palliis &c. & id genus aliis nugis; cum satius fuisset agere de Christo, de Fide, de Justificatione, de Bonis operibus & aliis Doctrinæ Christianæ Capitibus, quæ fermento Antichristiano tam infecta & corrupta erant, ut ibi vix sani quicquam reperire liceret. Quod cum Status Imperii animadverterent, postulabant *Concilium Christianum*, quod ageret de rebus Christiano Homine dignis, quæ ad fidem, ad ædificationem & salutem ipsius pertinerent; quo sensu τὸ Christianum B. Lutherus explicat T. 8. Jen. in Tract. quod Papatus à Diabolo fundatus sit: Das
H Wort-

Wortlein/Christlich/ meinen die Fürsten und Stände
des Reichs/ einfältiges/ aufrichtiges Gemüths/ ein Con-
cilium/da man von Christlichen Sachen/und durch Christ-
liche Leuthe nach der Schrift handeln solte/ denn sie gar
wohl gewußt/was der Papst im geistlichen Recht/von Gür-
teln/Röcken/Schubhen/Kaseln/Platten/Kirch-
weihen/Fladenweihen/von Pfründen/Prelatu-
ren/Pallien/Digniteten und des Narrenwercks
unzehlich/ gehandelt hatte. Sondern weil ist auf der
Ban wehren erreat grosse wichtige Sachen und Disputa-
tion/vom Ablass/Fegfeuer/Messen/Abgötterey/
Glauben/und guten Wercken und dergleichen/ daß
man solche Sachen Christlich nach der heiligen Schrift/
nicht Bapstlich möchte verrichten/ und dem armen einfäl-
tigen Mann helffen/ daß er auch wüßte/wo er were/ und
endlich mit seiner Seelen bleiben solte. f. 211. Itaque constat
de quibus Capitibus in Conciliis olim actum vel agendum fue-
rit, quodnam eorum fuerit primarium, quæ secundaria, quæ
aliena; superest ut aliquid dicatur

VI. De Conciliorum Autoritate.

120. Magnam esse Conciliorum Generalium Autorita-
tem libenter fatemur: Veruntamen adjicimus Concilia per
se non esse ἀσφαλῆ & infallibilia, sed erroribus obnoxia, ac
propterea Decreta & Statuta eorum non posse esse Normam
Controversiarum. Patres enim in Concilio congregati per se
sunt homines, adeoque non nisi humanæ ac finitæ autoritatis,
qua non possunt Decretis suis divinam infallibilitatem & ob-
ligationem conciliare. Nec habent infallibilitatem aliquam
à multitudine Episcoporum. Hæc enim per se non tuetur ab er-
rore; quin etiam licet de veritate sit Consensus, tamen plura-
litas humanum judicium non mutat, quoad totum genus, ut
ex humano divinum & infallibile reddatur. Rectè igitur con-
clu-

cluditur: *Singuli Episcopi per se non possunt infallibiliter decernere. Ergo nec plures aut omnes.* Ratio est. Quia quantumcumque crescat numerus tamen non crescit nisi in genere auctoritatis humanæ; nec per auctarium multitudinis foeneratur divinam & absolutam infallibilitatem. Non igitur perinde concludit illud argumentum, ac si dicam: *Singuli Milites non possunt hostem profligare: Ergo nec Omnes.* Hic enim per pluralitatem vires augentur κατ' αὐθροπον non ἐπὲς αὐθροπον. Cum igitur maneat in eodem genere, liquet plures id præstare posse, cui singuli pares esse non poterant.

121. Nec habent infallibilitatem à *peculiari aliqua absoluta promissione.* Licet enim Christus Apostolis Spiritus S assistentiam absolute promiserit; tamen eam ratione successorum restrinxit ad Verbum Apostolorum, Joh. 17, 20. Non est igitur ut quisquam neglecto vel male explicato & applicato verbo Dei sibi ἐνθεσιασμόν & divinum aliquem raptum & influxum polliceatur.

122. Multo minus autem habent illam à *Præsidentia*, directione & approbatione *Pontificis Romani.* Nam & ille, homo est & erroribus obnoxius. Tum non habet ad hoc axioma divinam vocationem. Adhæc non vult admittere S. Scripturæ iudicium. Deniq; Christo manifesto adversatur, & doctrinam Evangelicam corrumpit, eamq; ad Curia ac Culinæ suæ conservationem inclinat.

123. Hinc mirum non est toties errasse Concilia in decisione Controversiarum & Decretorum Constitutione, adeo ut ne priora illa Oecumenica per omnia à lapsu & errore immunia manserint. Quod ut unico exemplo demonstremus, ex Concilio *Niceno I.* non urgebimus, quæ alias notari solent, de rebaptizandis Paulianistis, Can. 19. & interdictio *Ἐπιαισεγή*, Can. 12. quæ forsitan ad bonum sensum revocari possunt: Sed illud solum considerari velimus, quod *B. Lutherus* notavit de interdicto *Conjugii Sacerdotum.* Existimat enim ille Concilium sanxisse Decretum contra Sacerdotes de colendo perpetuo calibatu, non obstante contradictione Paphnutii, qui ex Scripturis adseruerat, *honorabile esse conjugium, & consuetudi-*

nem cum propriâ uxore esse continentiam. l. de Conc. Tom. 7. Jen. Germ. fol. 230. b. Atq; hoc perquam verisimile fit ex Canone 3. quo Episcopis cautum est, quo minus secum habeant *συνείσυχτον* aliquam fœminam, nisi forte Matrem vel Sororem, vel aviam, vel amitam, vel materteram. Quod quamvis *D. Osiander* in suâ *Πνεύματι* ad hunc Canonem intellectum velit non de propriâ Uxore, sed de extraneâ quadam superinductâ & suspectâ Muliere: tamen quia in oppositâ Exceptione permissarum Fœminarum nulla uxoris mentio fit, valde credibile est, Patres Synodales de illa quoq; Sacerdotibus cautum voluisse. Nec *Bellarminus* hoc diffitetur, sed tanquam rectè factum dilaudat & defendere conatur. Verum nos illi Decreto non solum *B. Paphnutii* argumentum ex *Hebr. 13, 3.* petatum, de honorabili conjugio opponimus, sed doctrinam illam prorsus *Demoniorum doctrinam esse*, cum Apostolo pronunciamus, *1. Tim. 4, 3.* Vid. *Sozom. T. 1. c. 22.*

124. Ex quibus omnibus omnino patet, *Concilia generalia non fuisse infallibilia*, sed erroribus obnoxia, ac propterea Decreta illorum non esse Canonem Fidei. Superest igitur ut discquiratur, unde pendeat *Conciliorum legitimorum autoritas*? Respondemus autem expedite, quod à Scripturâ. Illuc enim Spiritus S. Ecclesiam remittit, & inde cognitionem Veritatis petere jubet, *Jes. 8, 20. Joh. 5, 39. Confer 2. Petr. 1, 19. Et 2. Tim. 3, 16.* Quicquid ergo à Conciliis decretum est secundum S. literas, ratum est; Erroroneum vero quod ab illis dissentit, sive à centenis sive Millenis Episcopis, sive ab Episcoporum Episcopo & Tyranno sancitum fuerit.

125. Quem Canonem etiam Concilia priora Oecumenica quantum ad causam principalem attinet, secuta sunt, quemadmodum imprimis de Patribus Nicenis *B. Lutherus* meminit, quod Scripturæ tenaciter inhæserint, secus parum fidei meritori. Wenn wir nicht mehr hetten/ diesen Artickel zu vertheidigen/ denn diß Concilium/ würden wir übel stehen. Und ich wolte dem Concilio selber auch nicht gleuben/ sondern sagen/ es sind Menschen gewesen. Aber der Evangelist

list S. Iohannes und S. Paulus / Petrus / samt den an-
dern Aposteln / diese halten fest / und stehen uns für guten
Grund und Wehre / als denen es ist offenbahret durch den
H. Geiſt öffentlich vom Himmel gegeben / von welchen es
die Kirchen vor diesem Concilio / und das Concilium auch
von denselben gehabt. Denn sie haben sich beyde vor dem
Concilio / da Arius anfing / und im Concilio / und nach
dem Concilio hart mit der Schrift / sonderlich mit S. Jo-
hannes Evangelio gewehret und scharf disputiret / wie Ae-
thanasii und Hilarii Bücher zeugen. So spricht auch
T. i. art. lib. 5. cap. 29. der Glaube ist zu Nicea durch der
Apostel Schrift gegründet. Sonst / wo die heilige Schrift
der Propheten und Apostel thet / so würden die blossen Worte
des Concilii nichts schaffen / und ihr Urtheil nichts ausrich-
ten. T. VII. Jen. de Concil. Idem de cæteris, si necessitas postu-
laret, facile demonstrari posset.

126. *Canones autem Ecclesiastici, quorum Historia Ec-
clesiastica meminit, si qui boni sunt, perinde ut nostri Libri
Symbolici per se nec Θεοπνευστοι sunt, nec infallibiles adeoque
nec peculiare Principium articulorum Fidei constituunt, sed
quia continent sententiam Scripturæ Sacræ de quibusdam du-
bijijs Quæstionibus quæ superiorū seculorum Doctores in Eccle-
siâ exercuerunt, sub notione Symboli ac Testimonij recipiuntur.*

127. *Quomodo, verba sunt Formulæ Christi. Conc. in
Præf. luculentum discrimen inter sacras Veteris & Novi Te-
stamenti literas, & omnia Aliorum scripta retinetur: & sola
S. Scriptura, Judex, norma & regula, agnoscitur, ad quam, ceu
ad lydium lapidem, omnia dogmata exigenda sunt, & judicanda,
an pia, an impia, an vera, an vero falsa sint. Cætera autem Sym-
bola, & alia scripta, quorum paulo ante mentionem fecimus, non
obtinent auctoritatem Judicis: hæc enim dignitas solis Sacris literis
debetur: sed duntaxat pro Religione nostrâ testimonium dicunt, e-
amque explicant, ac ostendunt, quomodo singulis temporibus sacræ*

*Liter. in articulis controversis in Ecclesia DEI à Doct̃oribus, qui
cum vixerunt, intellectæ & explicatæ fuerint, & quibus rationibus
dogmata cum S. Scripturâ pugnantiâ rejecta & condemnata
sint.*

128. Superest illa Pontificibus Rom. formidabilis Quæ-
stio, An Concilium sit supra Papam? Ubi quamvis *Jesuitæ* vi-
deantur in partem Negativam inclinare; tamen dum eâ de re
ὁμοῦ καὶ κατὰ disputant, & sententiam quasi incertam suspen-
dunt, Pontifici ipsi non solū suspecti, sed prorsus etiam formidabiles
sunt, ut Papa non audeat quicquam duriusculè statuere adversus
ipsorum Ordinem pro Merito, quod fecerit cuiusvis alij sive Do-
minicanorum sive Franciscanorum sectæ; quin metuat à Rânis
Jesuiticis in toto Regno adversus se actutum conclamatum iri.

129. Nos verò qui Pontificem Rom. per DEI gratiam
dudum ex Ecclesijs nostris ejecimus & exauctoravimus, eum
deinceps non solum Ecclesiæ sed Dei ipsius Judicio subjacere
statuimus propediem futurum esse confisi, ut eum Dominus
prorsus conficiat gladio oris sui & Ecclesiam ab ipsius Tyran-
nide absolvat. Securi igitur de Quæstionis hujus Jesuiticæ de-
cisione, de recuperatâ libertate Christianâ nobis ex animo gra-
tulamur.

130. Sive autem contingat de modernis controversijs
convocari Concilium Evangelicorum, sive minus: tamen no-
vimus illas ex Sacris Literis in Libris Ecclesiarum nostrarum
Symbolicis plerasq; piè verè ac nervosè dudum decisas esse, ut
propterea tuto cum B. Luthero dicere queamus, *Nos concilio o-
pus non habere.* Non tamen intermittere debemus, quin quo-
ad ejus per DEI gratiam fieri poterit, cum alijs Ecclesijs Evan-
gelicis de componendis controversijs illis consilia communi-
cemus. Interim autem ad Deum pro conservatione Ecclesiæ
Christianæ devotis gemitibus suspiramus:

*Serva DEUS Verbum tuum,
Et frange vires hostium,
Qui JESUM Filium tuum
Turbare conantur Throno.
Amen.*

Prestan-



Præstantissimo
Dn. Magistro Resp.

Dum sua Concilij libertas tuta maneret,
dulce erat Unanimes cernere posse Patres.

Nam sua Divino constabat gloria Verbo,
Vincebatq; pie Relligionis honos.

O Casti mores! Nunc, postquam degeneratas
Idolum invexit perfida Roma tuum;
Conciliis periit Libertas, Gloria verbo;
vinq; superstitione Relligionis habet.

Servus Servorum Domini dominatur in Æde
opprimit & placitis Omnia jura suis.

Infelix seclum! Sed Tu Möllere revolvis
hanc tamen exacti temporis historiam.

Laudo, nec immerito. Nam quos Ecclesia Casus
& quibus auxiliis vicerit, Illa docet.

Monstrat & Hereseon hostilia castra, Patrumq;
Consilia & vigiles insuper excubias.

Nil sub sole novi. Prudens, qui noverit isthæc
olim ad præsentem rite referre statum.

Tantum opera pretium Tibi nunc præclare Magister
apprecor & votis premia digna Tuis

gratul. f.

Andreas Kunadus D.

Quanta tui ingenij sit vis, Præclare Magister,
quæ tua sedulitas, pulpita nostra docent.
Sæpius his etenim sua Te videre Tuentem,
dogmata Philosophi, Theologiꝫ; pij.
hinc merito nuper summò es maꝑtatus honore,
hinc Te & adhuc certò præmia magna manent.

*Hisce paucis suum erga Pereximium atq̃
Clariss- Dn. M. Mullerum, Faculta-
tis Philosophicæ Adjunctum dignissi-
mum affectum declarare eiꝫ; cum de
solidâ eruditione tum de eâdem nuper
acquisitis summis in Philosophia hono-
ribus ex animo gratulari voluit*


M. Johannes Witthold
Itzehoâ-Holsatus.

X 2615909

VDA







B.I.G.

Farbkarte #13

OLOGICA

IS EC-

ICIS,

Opposita

Wittebergensi ad
proposita

INADO,

rij Electoralis Ad-
um Inspectore,

MÜLLERO,

is Philoso-

Maji

GÆ
Academiae Chalcogra phi

41
1657
53
14
A7